De Ovidii Metamorphoseon libris disputatio critica,

scripsit

W. H. KRAMER.

EX TYPOGRAPHIA MAATSCHAPPIJ „DE VECHT"
[illegible]
M[illegible]CV[illegible]

DE OVIDII METAMORPHOSEON LIBRIS DISPUTATIO CRITICA.

DE OVIDII METAMORPHOSEON LIBRIS
DISPUTATIO CRITICA.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

TH. H. MAC GILLAVRY, MED. ET CHIR. DOCT.,
IN FACULTATE MEDICA PROFESSOR,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARUM ET PHILOSOPHIAE
DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS
SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA
HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

WILLEM HENDRIK KRAMER,
NATUS IN PAGO FELDHAUSEN,

DIE XXI MENSIS FEBRUARIAE MDCCCXCVIII, HORA IV.

EX TYPOGRAPHEO MAATSCHAPPIJ „DE VECHT"
BREUKELEN,
MDCCCXCVIII.

FRATRIS CARISSIMI PIAE MEMORIAE.

CONSPECTUS CAPITUM.

CAPUT I.

DE INTERPOLATIONIBUS.

§ 1. *N. Heinsius primus in Ovidii Metam. libris multa spuria inserta esse censuit.*

In arte critica non nihil refert, qua ratione scripta vetera censeantur. In primis si de scriptis spuriis aut genuinis, de versibus genuinis aut spuriis est diiudicandum, opus est, ut rationem iudicandi sequamur, quae quam maxime cum auctoris ingenio, facultate, industria congruat.

Exemplo sit Peerlkampius. Hic in Horatii carminum editione eam rationem adhibet, ut „Horatium non agnoscat nisi in illis ingenii monumentis, quae tam apta et rotunda sunt, ut nihil demere possis, quin elegantiam minuas".[1])

Quo genere censurae vir ille doctissimus, latini sermonis peritissimus, praeterea suspicax, qualem decet esse quicumque artem criticam exerceat, adductus est ut multos versus Horatio abiudicaret. Multa certe vitia in Horatii libris ille detexit; multa indicavit, quae in iis mendosa aut saltem suspecta sunt. Quare eius editio omnes fere recentiores editiones regit: ex eius enim ratione critica fere omnes aliqua ex parte pendent, tam quae eam sequuntur quam quae ei adversantur. Quoniam enim Horatii ingenium poeticum, praecipue in poesi lyrica nunc temporis non ut olim ab omnibus summis laudibus effertur, nonnulli sunt, qui Peerlkampii de spuriis versibus sententiam non omni ex parte veram esse censeant.

---

1) Peerlk. ad Hor. carm. I, 16; cf. I. I. Hartman, de Hor. poeta, pg. 10.

Ut Peerlkampius de Horatio bene meritus est, ita multo antea de Ovidio vir ingeniosus, elegantiarum poetici sermonis peritissimus, Nicolaus Heinsius, cuius editio operum Ovidii etiamnunc fere omnium sceptrum tenet editionum. Multi quidem fuerunt, qui postea eum impugnaverint; plures vero ad eius iudicium se applicaverunt. Is autem multos versus Ovidii praesertim ex Metamorphoseon libris spurios iudicavit. Haec enim fuit eius in arte critica ratio, ut complures versus, qui veram sinceramque poetici sermonis elegantiam non habere ei viderentur, aut mutatis verbis elegantissimo poëta dignos reddere conaretur, aut si emendatio non succederet, Ovidio, utpote cuius versus omnibus numeris absoluti esse deberent, abiudicaret.

Saepe etiam severam illam pronuntiavit sententiam, ubi eadem verba intra paucorum ambitum recurrunt, aut ubi quis versus in uno alterove codice omissus erat [1]). Quae ratio fecunda sane erat multarum emendationum. Neque dubium est, quin multa vitia eiusmodi ratione ab Heinsio detecta sint, multa recte Ovidio indigna iudicata. Amplius septuaginta versus in Metamorphoseon libris ille spurios iudicavit, Ovidianos non existimavit, suspectos habuit, sustulit, adulterinos censuit, a tenebrione sciolo inculcatos dixit, ἐς κόρακας ablegavit, inter Nasonianos non admisit, pro genuinis non censuit, scutica dignos existimavit, delendos esse contendit, eiciendos censuit et quae praeterea vocabula ille cultissimi ingenii vir excogitavit, ut eandem rem indicaret. Quod Heinsius tam multis variisque verbis usus est ad eandem rem significandam, testatur quam limatum et politum fuerit eius scribendi genus, quam diligenter iterationes vitaverit ipse. Quo etiam adductus est ut in Ovidio repetitiones aequo animo non ferret. Periculum enim non aberat, ne Heinsius, quod ei obiectum est, artem suam Ovidio obtruderet [2]).

Eo autem, quo vivevat Heinsius, tempore his in regionibus litterae floruerunt; in deliciis habebant illi viri

1) cf. Gierig, ad Met. I, 711.
2) cf. H. Magnus, Studien zu Ov. Metam. pg. 10, c. not.

veteres scriptores, imprimis Latinos, quos non solum admirati sed etiam haud sine gloria imitati sunt poematis, satis nitide et venuste compositis. Potissimum autem Ovidii colebant poesin, ita ut quicumque carmina latina scriberent plerumque, id quod iam antiquis fiebat temporibus, illum auctorem poeseos latinae sequerentur. Nam non solum, quamdiu stetit res Romana, multi poetae Ovidium magistrum habuerunt, sed etiam medio aevo praeter Vergilium, Prudentium, Horatium, Lucanum Ovidii libri in scholis coenobiorum sedulo lectitabantur. Ne in magni quidem illius Florentini, Dantei Alighieri, bibliotheca, quae paucos tantum libros veteres continebat, Ovidii Metamorphoses defuisse dicuntur. Etiam post renatas litteras viri illi magni, qui ante Nicolaum Heinsium vixerunt, Iulius et Iosephus Scaligeri, Gerardus Iohannes Vossius, Nicolai pater Daniel Heinsius [1]) summis fere laudibus Ovidii poesin extulerunt. Eius amore interdum usque eo processerunt, ut Iulius Scaliger exclamaret: „quis de Ovidio satis digne dicere possit, nedum ut audeat eum reprehendere" et Iosephus Scaliger contenderet, Ovidio olim tam falso quam immerito obiectum esse, quod non posset manum tollere de tabula et numquam desinere sciret.

Ea laus sane haud exigua. Sed audiendus etiam Vossius: „Si quo peccat Ovidius in eo peccat, quod magnorum fluminum instar interdum redundet. Quod si in eo vitium est, tot suis virtutibus illud compensat".

Hic ergo concedit saltem, fieri potuisse ut peccaret Ovidius; at nihil fere vitii in hoc poeta fuisse credas, cum legis, quod dixit Daniel Heinsius: „Omnes Ovidius transcendit. Sive falsa probabiliter, sive obscura perspicue, sive utraque ornate, sive omnia simpliciter sint exponenda . . . . . . Idque verbis et oratione vulgari. Ut et dicat quae velit et doceat quae quisque intelligat. Tam

1) Iulius Scaliger 1484—1558, Iosephus Scaliger 1540—1609, Gerardus Johannes Vossius 1577—1649, Daniel Heinsius 1580—1655, Nicolaus Heinsius 1620—1681.

admirabili felicitate, ut cum quivis idem posse videatur, nemo possit; nemo, nisi magni animi et excitati, tentare idem ausit; sapientes etiam desperent...... Numerorum autem tanta puritas, simplicitas ac invidenda suavitas, ut quid magni viri velint cum mutari quosdam posse existiment, neque ipsi, nisi fallor, neque nos intelligamus".

Magnificentius de se prolatum iri iudicium neque speravit Ovidius neque sperare potuit. Neque mirum igitur est, Nicolaum Heinsium, qui eiusmodi de Ovidio iudicia editioni suae praemiserit iisque accesserit, si in eius scriptis vitiosi aliquid ei occurreret, id pro Ovidiano agnoscere non potuisse, sed prius eiusmodi locos mutatis verbis emendare conatum esse; deinde si irritus esset omnis emendandi labor, tandem aliquando eo confugisse, ut spurium iudicaret, quicquid cum poetae ingenio non congruere videretur, i. e. quicquid a sermonis elegantia recederet.

§ 2. *Alii, qui in veteribus scriptoribus eadem ratione usi sunt, secundum temporum ordinem summatim enumerantur.*

Isdem autem temporibus eadem ratio adhibita est etiam ab aliis, praecipue a Francisco Guyeto, qui primus in Horatio permulta a falsariis inserta esse contendit. Nam antea, primis post renatas litteras saeculis, viri illorum temporum docti plerumque tantummodo amabant et admirabantur quaecumque a veteribus auctoribus relicta erant, et ut veterum libros manu scriptos undique collegerent et describerent sedulo dabant operam, sed in eo labore arte critica aut nunquam aut raro utebantur. Magnum ergo erat iis temporibus periculum, cum libri manu tantummodo scriberentur, typographis nondum mandarentur, ne errore scribarum depravarentur, ne vocabula, quorum scriptura oculis perspicua non esset, non recte intelligerentur, ne versus omitterentur, ne versus et verba iterarentur, ne nonnulla quae inter lineas vel in margine adscripta essent in textum reciperentur, denique ne nulla non depravationis genera committerentur. Inde magna discrepantia interdum inter diversos codices. Sed id tenendum esse constat, semper

fere mutationes vocabulorum et versuum factas esse bona fide; raro hominem aliquem doctum, qui litteras amaret, data opera veterum auctorum libros depravasse inserendis iis, quae ipse fecisset; sed plerasque depravationes scripturae factas esse errore aut scribarum aut lectorum, qui quae legerent non intelligerent aut vitiosa putarent, ideoque emendare conarentur. Huiusmodi libri manu scripti, qui hodie dicuntur codices interpolati, in Italia post renatas litteras haud pauci numero confecti esse feruntur.

Cum igitur hic illic in libris manu scriptis nonnulla occurrerent, quae suspicionem moverent, in promtu erat interpolationem odorari, quae etiam antiquis temporibus apud Graecos, Alexandrinos, Romanos frequens fuisse fertur et in Homericis carminibus iam a viris doctis Alexandrinis imprimis ab Aristarcho notatam fuisse constat. Tunc vero, altera saeculi decimi sexti parte, ubi ars critica iam non in cunabulis erat, sed studium litterarum admodum iam adoleverat et summa favore fruebatur, plures viri docti, ut iam dictum est, eiusmodi locos adulterinos detexerunt aut detexisse sibi visi sunt.

Iam, ut altos omittam, Dionysius Lambinus (1520—1572) in Horatio et Muretus (1526—1585) in Ovidio versus spurios indicaverant. Et Iosephus Scaliger (1540—1609) qui ab anno 1593 Lugduni Batavorum professuram obtinebat, vir immensae doctrinae, cuius ratio critica multis versibus veterum auctorum transponendis insignis erat, in Theocrito permultos versus, qui in uno codice legebantur in aliis deerant, spurios iudicaverat. Etiam Daniel Heinsius (1580—1655), Scaligeri amantissimus, interpolationum investigator fuisse videtur.

Sed omne acumen suum indagandis interpolationibus adhibuit vir, quem sagacissimum et suspicacissimum haud immerito dixeris Franciscus Guyetus (1575—1655). Exemplaribus veterum auctorum suis in margine multas notas adscripsit, quibus plerumque versus spurii significabantur. Tales notae inveniri feruntur ad opera Terentii et Hesiodi, Horatii, Vergilii, Propertii, Lucani, Plauti, Martialis, Phaedri, Hesychii.

Postea Richard Bentley (1662—1742), qui iam antea Phalaridis epistulas spurios esse demonstraverat, etiam auctoribus Latinis spuria inesse contendit, multa in Manilii Astronomicis, pauciora in Horatio, Ovidio, aliis. Sed in Horatio cautissimum se praestitit.

Paulo ante Bentleium vixit Iohannes Harduinus (1646—1729), e societate Iesu. Hic usque eo processit, ut non solum totam Vergilii Aeneidem spuriam et „Horatii poetae nihil superesse genuinum praeter epistolas et sermones" [1]) contenderet, sed etiam magnam partem aliorum veterum scriptorum et profanorum et ecclesiasticorum subditiciam et posteris saeculis confictam statueret [2]).

Qui licet nimio abreptus studio modum excesserit multique talem rationem impugnaverint, res tamen ipsa nihilo minus mansit. Ieremias Markland (1693—1776), Lodevicus Casparus Valckenaer (1715—1785), Friedrich August Wolf (1759—1824), August Ferdinand Naeke (1788-1838), Philipp Buttmann (1764—1829), hi omnes — ut e multis pauci viri primarii nominentur — eandem rationem adhibuerunt, sed certis angustisque circumscriptam finibus.

Nostro autem saeculo novis magnisque viribus illa ratio aucta est, cum Petrus Hoffman Peerlkamp (1786—1865) Horatii carmina edidit anno 1834. Is magno acumine et summa constantia hac via pergens permultos versus tamquam Horatio indignos notavit. Cuius editio primo neglecta aut animo adverso et inimico accepta, mox tamen omnium animos in se convertit. Multi eius exstiterunt adversarii: multi, neque ii obscuri ignotive, ei accesserunt, eiusque rationem propagaverunt.

Ex quibus unus, pugnacissimus fortasse, O. F. Gruppe (1804—1876), haud parvis libris, quibus nomina sunt ‚Minos' (1859) et ‚Aeacus' (1872) firmiter intrepideque

---

1) Pseudo-Vergilius et Pseudo-Horatius una prodierunt 1733.

2) I. Harduini Iesuitae ad censuram scriptorum veterum prolegomena, 1767.

multis argumentis causam quam sibi sumpserat defendendam stabilire conatus est. Neque solum hic Horatium aliosque poetas Latinos, praecipue qui Augusti aevo vixerunt, variis additamentis depravatos esse, sed etiam rem explicari posse sibi persuasum habuit. Cum enim observavisset prope omnes versus adulterinos nulla discrepantia codicum significari et semper fere apud poetas Latinos „innere Gründe" cur supponerentur deesse — qui vero apud poetas Graecos adesse dicerentur — interpolationes istas a bibliopolis originem habere, eosque, ut editones a se factae novae studiosius peterentur, versus adulterinos a viris doctis conficiendos et inserendos curavisse contendit [1]). Praeterea Gruppe se tempora definire posse credit, quibus istas interpolationes suppositas arbitratur: primum scilicet saeculo post Chr. n. primo, deinde temporibus Hadriani, tertium cum Theodoric Magnus rex erat Gothorum, priore igitur parte saeculi sexti id factum esse statuit [2]). Inde ab hoc tempore textum veterum auctorum non magnopere mutatum esse dicit.

Sed de ea re universa quid viri docti censuerint et quo Marte duae illae acies, quae tempore Gruppiani Minois infestis signis campum tenebant, inter se pugnaverint, longius persequi nihil attinet.

§ 3. *Qui in Metam. libris spuria indicaverunt brevi conspectu enumerati.*

Iam multo plus duobus saeculis antequam Peerlkampiana editio prodiit id fere ipsum quod Peerlkamp in Horatio fecit, in Ovidii Metamorphosesin factum esse invenimus a N i c o l a o H e i n s i o. Nam licet ante eum fuerint, qui in Metamorphoseon libris spuria inserta esse contenderent, ut Muretus, Naugerius, Ciofanus, Daniel Heinsius, huius tamen filius Nicolaus fuit, qui tam felici ingenio, tanta doctrina et elegantiarum latini sermonis peritia instructus hanc rati-

1) Minos pg. 163—8
2) ib. pg. 550—64.

onem in edendis Ovidii operibus adhibuit, ut eius editio usque ad hoc tempus fundamentum manserit, quo fere omnes Metamorphoseon editiones nitantur. Amplius septuaginta versus, ut iam dictum, ab eo spurii iudicati sunt; et qui eum secuti sunt, Burman, Bentley, ex parte quadam Gierig, paucos tantum addiderunt. Memoria dignum est, inter Heinsii obtrectatores fuisse, qui tamen eidem causae servirent, F. H. Bothe et I. H. Voss, alios, quam quos Heinsius obelo notaverat, versus subditicios iudicantes.

Ex iis qui postea Heinsium impugnaverunt nominandus est Vitus Loers, qui in praefatione editionis suae (1843) maxime disputandum esse putat[1]) „contra auctoritatem et recensionem Heinsii, ut qui plerosque horum carminum locos, qui critica ope indigeant, primum censurae subiecerit, cuiusque audaci ac tumultuaria critica summa illa depravatio atque corruptio, qua Metamorphoses tenentur, maxima ex parte profecta in reliquas editiones manarit...... Ad minimum nongenti sunt in hoc carmine loci, quos perversa critica eius aut turpiter falsa scriptura pro germana ac sincera substituta, aut coniecturis tentarit, aut argumentis et rationibus plane inanibus ac futilibus suppositicios iudicarit" ....

Malignum sane iudicium de viro „tantis veterum librorum et doctrinae copiis instructo, quantis fere nemo fuit unquam", „de accuratiore intellectu atque interpretatione Ovidii impense merito".

Multi vero versus, quos Heinsius Ovidio indignos putavit, etiam hodierno tempore ab editoribus pro spuriis iudicati aut saltem inclusi sunt. Sedecim fere locis, ubi ille obelum posuit, eius censuram secuti sunt nostri temporis editores. Licet fuerit tempus, ubi desererent viri docti Heinsii viam ac rationem, hodie ad eam multi revertuntur eamque laudant. Ne omnes afferantur, O. F. Gruppe, Moriz Haupt, Alexander Riese, Anton Zingerle, Otto Korn, Reinhart Suchier, Hugo Magnus, Iacobus Ioannes Hartman,

---

1) Praef. pg. IV sq.

Friedrich Polle appellandi sunt, quorum plerique in editionibus suis non solum aliis versus quosdam ex Metamorphoseon libris relegantibus assensi sunt, sed novos quoque de suo his addiderunt obelos.

Sed omnes, qui acumini suo inservierunt in detegendis versibus in Metamorphosesin interpolatis, antecedit Rudolphus Merkel (1811—1885). Hic, de Ovidio, cui per quinquaginta annos operam dedit, optime meritus, tam multos tamen versus (non minus trecentos) uncinis inclusit, ut merito sit verendum ne ars critica eo modo iustam viam deseruerit. Ceterum non solum Merkel permultos versus suppositicios iudicavit, genera etiam et tempora interpolationum demonstrari posse sibi persuasum habuit. Etenim praeter eam interpolationem „quae saec. XII ex interpretatione scholastica profecta"est[1]), sed quae „nusquam protulit aut intactum reliquit, quod nisi imperitum criticum temptare possit," tria alia genera interpolationum diversis temporibus dignoscenda esse arbritratus est.

Primum genus, quo lacunae, in quibus hemistichia, a poeta relictae, supplebantur „interventu Hygini" „cui Ovidius Trist III, 14, 19 Metamorphoses commendat" natum est[2]). Ex initio igitur primi saeculi originem illud habet.

Secundum genus, quo etiam „vetustissimae tantum quae adesse videbantur lacunae mira plerumque barbarie supplentur, versuum particulae aut hemistichia a poeta Vergiliano exemplo relicta". Et quia Metam. VIII 87, iam ab Heinsio spurius iudicatus, apud Priscianum legitur, efficit, hoc genus saeculo quinto antiquius habendum esse[3]).

Tertium genus, quo „laevigabantur, exornabantur, quae vel vitium traxerant vel aliqui displicebant eruditulis", „aut multa a multis apte, inepte amplificabantur," eo fere saeculo ponit „quo Ekkehardi Waltharius edolatus est"[4]) saeculo igitur nono decimove.

1) Ovid. ex rec. Merk. tom. I praef pg. VIII.
2) ib. tom. II² praef. pg. XL.
3) ib. pg. XXV.
4) ib. pg. VI.

Non omni quidem ex parte, re tamen ipsa cum Merkelio consentit Otto Korn, qui etiamsi multo minorem versuum spuriorum numerum seclusit, tamen priusquam codices manuscripti, qui aetatem tulerunt, conscriberentur, saepius recensitos esse Metamorphoseon libros opinatur [1]. Tertiam quam significat recensionem eo tenpore ponit quo codices conscribebantur, qui ex archetypi illius, qui alteram recensionem servavit, apographo sunt scripti.

„Primum enim" Kornio iudice „ante Prisciani tempora exstitit, qui editionem nescio quibus rationibus fultam pararet. Et is quidem ...... parum laudabiliter munere est perfunctus."

„Alter vero, qui in eodem curriculo vires exercuit, qui Caroli magni ...... temporibus fuit, doctrina ex antiquis fontibus hausta haud ita instructus, id potissimum egit, ut eis quae artis legibus vulgaris parum viderentur respondere sublatis textum utcumque eum constitueret, qui talibus difficultatibus legentem discipulum nihil moraretur." „Ex ea autem recensione prorsus pendent libri vetustissimi, qui usque ad haec tempora sunt servati". „Ex eo fonte ipso deducti sunt qui antiquissimi sunt et optimi ex servatorum numero libri Londinensis et Marcianus".

Iustisne argumentis et Merkel et Korn rem quam statuunt demonstraverint inquirere hoc loco supersedendum esse puto. Satis erit indicasse, rationem, quae Heinsianae editionis fundamento nititur, ad nostra usque tempora permansisse.

§ 4. *Non omnes versus ea ratione explicari possunt.*

Ea vero ratione, de qua supra sermo erat, num omnes versus, qui quacumque de causa Ovidio abiudicentur, rectam explicationem accipiant, quaeri licet. Unum tantum locum hic afferam, qui nonnihil difficultatis praebet.

Locus est in libro Metam. VIII, ubi Theseus apro Calydonio interfecto, cum se Athenas reciperet, ab Acheloo

1) Metam. rec. O. Korn (1880), praef. pg. VII sqq.

amne invitatus tectis eius successisse narratur et post coenam hospitem rogasse, quae essent eae insulae, quas cernerent. Achelous amnis eum insulas illas olim Naïdes fuisse docet, quarum uni a se dilectae virgineum nomen ademerit ipse.

593 Quod pater Hippodamas aegre tulit, inque profundum
propulit e scopulo pariturae corpora natae.
595 Excepi nantemque ferens „O proxima coelo
regna vagae" dixi „sortite Tridentifer undae,
in quo desinimus, quo sacri currimus amnes,
598 huc ades, atque audi placidus, Neptune, precantem.
Huic ego, quam porto, nocui. Si mitis et aequus
si pater Hippodamas, aut si minus impius esset
601 debuit illius misereri, ignoscere nobis.
[Cui quondam tellus clausa est feritate paterna]
602 adfer opem; mersaeque, precor, feritate paterna
da, Neptune, locum; vel sit locus ipsa licebit:
hunc quoque complectar". Movit caput aequoreus rex
concussitque suis omnes adsensibus undas.
606 Extimuit nymphe; nabat tamen. Ipse natantis
pectora tangebam trepido salientia motu.
Dumque ea contrecto, totumque durescere sensi
corpus et inducta condi praecordia terra.
610 Dum loquor, amplexa est artus nova terra natantes
611 et gravis increvit mutatis insula membris.

Heinsius vs. 598 ‚huc ades, atque audi placidus, Neptune, precantem' spurium et proinde eiciendum esse censet, ut et versum qui post 601 est inclusus (‚cui quondam tellus clausa est feritate paterna'), quem minime ferendum putat, cum verba ‚feritate paterna ' denuo proxime repetantur.

Addi potest, non solum repeti verba ‚feritate paterna', sed etiam duobus his versibus:

‚cui quondam tellus clausa est feritate paterna
adfer opem',

et: ‚mersaeque precor feritate paterna
da, Neptune locum'

mutatis verbis idem fere dici. Nimia sane haec sermonis

abundantia neque mirum, hac in re editores offendisse. De vs. 598 tamen Heinsius nihil. Gierig vero nos docet hunc versum ineptum esse, ideoque tollendum.

Postremos huius loci versus 610/11 ‚dum loquor ..... membris' aut quattuor versus praecedentes 606—9 ‚extimuit nymphe ..... praecordia terra' pro superfluis Heinsius tollendos censet, ne poeta bis idem dicat. Nemo certe ei obloquetur, versus illos narrationem inutiliter amplificare. Nam bis narratur Perimeles nymphae in insulam cognominem mutatio.

At, utra narratio retinenda est? Heinsius, qui interpretes hic bis idem dici non vidisse miratur, hanc quaestionem non diiudicat: aut quattuor illos, aut duos tollendos censet. In editione autem eius inclusi sunt duo, 610 sq. Rectissime, sane. Quid enim? Si tolluntur 606-9, una tollitur iustus narrationis nexus. Nam si poeta dicit (vs. 604, 5):

‚movit caput aequoreus rex
concussitque suis omnes adsensibus undas'

non potest pergere ita:

‚dum loquor, amplexa est artus nova terra natantes' sqq.;

optime vero cohaeret oratio si pergit:

‚movit caput aequoreus rex
concussitque suis omnes adsensibus undas.
Extimuit nymphe ...' sqq.

Sine detrimento igitur vss. 606-9 tolli non possunt; quare nihil aliud superest nisi ut excludantur 610/11.

Verum nunc oritur non minor difficultas. Quam ob causam tollendi sunt 610/11:

‚dum loquor, amplexa est artus nova terra natantes
et gravis increvit mutatis insula membris'?

Num hi sunt minoris pretii quam praecedentes quattuor? Immo vero, sunt versus egregii: adeo ingenium Ovidianum spirant, ut post Heinsium et Burmannum nemo eos damnare ausus sit praeter Gierigium, qui quattuor priores multo elegantiores putat. Huius temporis editores quod sciam omnes vss. 610/11 retinent.

Sed quia quattuor illi (606-9) omitti non possunt quin orationis nexus corrumpatur, et aliorum versuum ruinam

secum traxerunt. Itaque inde ab 596 usque ad 610 nulli servati sunt nisi 602 et 3 soli. „Spuria enim esse" cetera, quae omissa sunt, „diversis temporibus a diversis haud ita bene composita" contendit Merkel [1]).

Hic ceterique viri docti, qui ei assentiuntur, codices, qui dicuntur meliores, secuti sunt, Marcianum scilicet et Laurentianum, qui ex toto loco ea tantum praebent, quae editores illi retinuerunt:

593 Quod pater Hippodamas aegre tulit, inque profundum
propulit e scopulo pariturae corpora natae.
Excepi; nantemque ferens „O proxima coelo
596 regna vagae" dixi „sortite Tridentifer undae,
602 adfer opem mersaeque precor feritate paterna
603 da, Neptune, locum; vel sit locus ipsa licebit."
610 Dum loquor, amplexa est artus nova terra natantes
et gravis increvit mutatis insula membris.

Si mutationem his verbis narravisset poeta, non longis ambagibus quidem usus esset, sed omnia tamen perspicua essent, et oratio bene apteque procederet.

Fac, poetam nihil praeterea addidisse, rogandum tamen est, quae fuerit causa, cur versus nunc omissi in textum inserti sint. Facile enim est dictu, versus istos esse spurios, „diversis temporibus a diversis compositos". Non facile vero erit indicare iustisque argumentis demonstrare, unde illi versus ablegati originem trahant. Ab interpolatore? Nihil opus fuit interpolatione. Nam nihil inest „quod vitium traxit vel aliqui eruditulis displicere posset", quodque igitur „laevigandum, exornandum" esset. Immo vero omnia eleganti sermone, breviter quidem, sed perspicue sunt narrata.

Neque lacuna adest, neque versus particula neque hemistichion deest, quod suppleri oportebat. Nemo, opinor, qui olim scripta veterum auctorum perscripsit tam fuit stupidus, ut hoc loco lacunam adesse crederet; at si re vera tam ineptus aliquis scriba vel lector exstitisset, tam

1) O. Korn, ad h. l.

elegantibus versibus, Ovidio non indignis, lacunam explere certe non potuisset. Sunt enim nonnulli eorum, teste Gierigio, multo elegantiores quam vss. 610, sq. et secundum Riesium „satis eleganter interpolati".

Postremo si quis amplificandum locum ratus esset, eo munere saltem non tam perverse functus esset ut narrationem tam mire confusam et abundantem redderet.

Quoquo ergo rem vertis, nulla probabilis causa inveniri potest, cur hos versus supervacaneos interpolatori imputari oporteat. Alia explicatio inquirenda est.

§ 5. *Ad versus in Metam. libris damnandos codicum auctoritate non nitendum est; alia eaque graviora argumenta sunt petenda.*

Paulo supra, pag. 13, iam narratum est, Merkelium ceterosque qui ei assentiantur in dammandis illis libri VIII versibus auctoritatem codicum Marciani et Laurentiani secutos esse. Etiam Heinsius persaepe versus sibi suspectos codicum sola auctoritate usus relegandos putavit. Cum versus aliquis aliqua de causa offendebat, saepe de eo actum erat, si codex non malus eum omittebat et versu eo omisso continuatio narrationis non admodum turbabatur. Quod si cuipiam mirum videtur, in Ovidii metamorphoseon libris iam ab Heinsio factum esse idem quod plus duobus demum saeculis post in Horatio Peerlkamp ausus est, haec res fortasse inde explicari potest, quod codices Horatii numero versuum non inter se discrepant, contra libri manu scripti qui Metamorphoses continent hac in re minime congruunt. Quicumque igitur in Ovidio spuria inesse contenderunt, multo facilius aliis persuaserunt quam qui de Horatio idem pronuntiarunt. Fieri potest ut eadem res in causa fuerit, cur Bentleius in damnandis versibus Horatianis multo cautius egerit quam in Ovidianis.

Quoniam autem magni refert, solidisne de causis versus aliquis secludatur, inquiri oportet, num ex codicum auctoritate iusta argumenta peti possint, si demonstrandum sit, utrum versus spurius sit an genuinus. Et olim et nunc sed

praesertim hodierno tempore codicum auctoritas multum valet; et tantum quidem, ut iam, neque fortasse iniuria, quaesitum sit, nonne codicibus et codicum auctoritate nimium nunc abutantur quidam viri docti. Si quem versum alius codex habet, alius omittit, utri magis fidem habere debemus? Aut, quod maius est, si quis versus legatur in codice minoris pretii, sed non inveniatur in codice, quem fere omnes bonum laudant, tum mali codicis auctoritas reicienda, et tantummodo bonus ille respiciendus est?

Operae pretium videtur illam proponere quaestionem de uno codice, qui Metamorphoseon textum continet, de Marciano, illo, quem Heinsius saepius „omnium castigatissimum", „primae notae" vocavit, de codice, cuius auctoritate, quam nunc quoque cum Merkelio recentiores editores approbant, magna ex parte textus Metamorphoseon nititur. Ille, optimus igitur, codex qui paulo ante libri XIV finem desinit, omnes alios superat numero versuum vel omnino omissorum vel postea in margine adscriptorum. Totus eorum numerus 280 superat. Ex iis, qui sunt VIII 340—402, duas paginas vel potius plagulas explevisse videntur, non Marciani scilicet libri sed cuiusdam, qui Marcianum tempore antecedit. Praeterea XIII 276—343 duae paginae vel plagulae, XIV 272—307 una excidisse videntur. Restant his neglectis fere 120 versus omissi, qui per amplius octoginta locos sunt distributi. Ex his locis fere dimidia pars eiusmodi est, ut error scribarum in aperto sit, ubi scilicet oculi quoniam in fine plerumque aut initio versuum eadem vocabula legebantur aberraverunt. Exempla sint I 326, VI 431, X 590.

et superesse virum de tot modo milibus unum,
I 326 et superesse videt de tot modo milibus unam,
innocuos ambos . . . .

Eumenides tenuere faces de funere raptas,
VI431 Eumenides stravere torum, tectoque profanus
incubuit bubo thalamique in culmine sedit.

Aonio visa est iuveni, tamen ille decorem
X 590 miratur magis; et cursus facit ille decorem.

Ne plures afferantur, decem loci sunt ubi Marcianus aut plane omittit aut in margine tantum vel inter lineas additos habet versus, quos omnes fere editores pro Ovidianis non agnoscunt. Sed quinque eorum tales sunt, ut error scribarum causa omittendi esse potuerit, sc. versus qui olim erat post II 555, IV 768, VIII 87, VIII 286, IX 730.

II 555: servandum dederat sic inconfessa quid esset
556 et legem dederat, sua ne secreta viderent

Quaerit Lyncides moresque animumque virorum
IV 768 quaerenti protinus unus | narrat Lyncides
quae simul....

crine suum spoliat praedaque potita nefanda
VIII 87 fert secum spolium celeris progressaque porta

et setae similis rigidis hastilibus horrent
VIII 286 stantque velut vallum velut alta hastilia setae

cura tenet Veneris? si di mihi parcere vellent
VIII 730 parcere debuerant, si non, et perdere vellent

Cum vero amplius triginta locis eundem errorem scribarum causam omittendi fuisse primo aspectu in aperto sit, haud idoneum afferunt argumentum delendi hos quinque versus, qui ad Marciani codicis auctoritatem provocant. Itaque quinque loci restant, ubi talis error scribarum non adest. Sed quod e Marciani textu exciderunt, argumento esse non potest, neque haec est sat gravis causa, cur eos ex Ovidii operibus removeamus. Nam idem codex multo plures omisit, qui deesse nullo modo possunt. Exempla sint pauca e multis: I 206, V 387/8, VII 85, XI 276.

nec tibi grata minus pietas, Auguste, tuorum est,
quam fuit illa Iovi. Qui postquam voce manuque
I 206 murmura compressit, tenuere silentia cuncti.

Haud procul Hennaeis lacus est a moenibus altae,
nomine Pergus, aquae. Non illo plura Caystros
V 387 carmina cygnorum labentibus audit in undis.
388 Silva coronat aquas cingens latus omne suisque
frondibus ut velo Phoebeos submovet ignes.

Ut vidit iuvenem, specie praesentis inarsit
Et casu solito formosior Aesone natus
VII, 85 illa luce fuit: posses ignoscere amanti.

Quo postquam Aeacides fessus curaque viaque
venit et intravit paucis comitantibus urbem,
XI, 276 quosque greges pecorum, quae secum armenta trahebat
haud procul a muris sub opaca valle reliquit.

Cum ergo in ille „omnium castigatissimo" codice tam multi versus errore scribarum omissi sint, cum praeterea tam multi versus exciderint, qui omitti non possint quin tota sententia pessumdetur vel omnis tollatur sensus, auctoritas eius valere non debet, si diiudicandum est utrum versus spurius sit an genuinus.

Interdum vero huic codici nimium auctoritatis tribui uno exemplo probare liceat.

VIII,85 (Scylla) . . . . . vitali nata parentem
crine suum spoliat, praedaque potita nefanda
87 fert secum spolium celeris progressaque porta
per medios hostes (meriti fiducia tanta est)
pervenit ad regem.

Versus 87 deest in Marciano, sed a manu 2 in margine adscriptus est. Quapropter iam Heinsius eum tollendum censuit. Laudatur tamen a Prisciano, saeculi quinti grammatico, ad demonstrandum adiectivum ‚celer' femininum facere ‚celeris.' Hic igitur haud dubie hunc versum in Metam. libris legit. Sed versum istum quem facile aliquo errore excidere potuisse apparet, nihilominus damnandum esse constat apud doctos. Merkel enim in praef. pg. 25 dicit: „neque codicis nostri auctoritas sola eum damnat, neque Prisciani tuebitur". Quae vero alia auctoritas eum damnet, ne uno quidem verbo dicit. Attamen oportebat. Nam Marcianus solus eum damnare nullo modo potest. Argumentis igitur opus erat. Quae enim ab aliis contra hunc versum afferuntur, iustam causam damnandi non praebent, quemadmodum postea videbimus. Argumentis hic imprimis opus erat. Nam hic unicus locus est, quo illa Merkelii opinio

nititur, interpolationis illud „secundum genus" saeculo quinto antiquius habendum esse.

In arte autem critica cum praeter testimonia vetera aut codicum aut auctorum nulla auctoritas valeat, cum vero codicum auctoritas, imprimis Marciani, minime cogere nos possit ut credamus versum aliquem spurium esse, cum deinde nemini ad suum arbitrium, ad suam sententiam versum relegare liceat, necesse est argumenta poscere alia eaque graviora.

Etiam si de versibus spuriis agitur omnino tenenda sunt, quae August Boeck[1]) olim scripsit[1]): „Um ein unangemessenes Sprachelement für unächt zu erklären muss man erst ermittelt haben, ob die Individualität des Autors so vollendet sei und die Darstellung so unter der Gewalt seines Charakters stehe, das man ihm den vorliegenden Verstoss nicht zutrauen kann." . . . „Nur das wird man aus inneren Gründen als unächt anfechten dürfen, was zugleich der Individualität des Schriftstellers und dem Sprachgebrauch zuwider ist."

Quicumque igitur de versibus qui feruntur interpolatis iudicium proferre vult, primo se convertat ad poetam ipsum, inquirat, qualis eius ars fuerit, eius ingenium, eius facultas, eius industria. Et si quem versum cum illis non congruere satis constat, si praeterea haud spernendis argumentis indicari potest, qua ratione aut qua de causa versus iste suspectus locum alienum obtinuerit, tum demum, opinor, ex poetae libris relegare eum nobis licet.

Itaque videndum est, qualis fuerit Ovidius poeta.

---

1) Encyclopaedie und Methodologie der Philologischen Wissenschaften pg. 185.

CAPUT II.

QUAE OVIDIUS DE POESI SUA NARRAVERIT.

§ 1. *Ovidius a natura poetico ingenio instructus.*

Si quae Ovidius de poesi sua tradiderit inquirentes eius opera adimus, statim reperimus, Trist. IV, 10, eum Musarum amicum et sacerdotem fuisse inde a pueritia. Quod enim veri poetae omnes habent ut natura sua et indole ad poesin trahantur, id Ovidius de se puero testatur. Cum fratre, „qui tribus ante quater mensibus ortus erat," pater eum adhuc tenerum Romam misit, ut a viris arte insignibus excolerentur. Fratrum vero ingenium diversum erat, nam

17sqq. „frater ad eloquium viridi tendebat ab aevo
fortia verbosi natus ad arma fori.
At mihi iam parvo coelestia sacra placebant,
inque suum furtim Musa trahebat opus."

At patri, qui filios artibus instruere studebat, quae ad honores in civitate gerendos evehere possent, hoc minoris filii studium minime placebat. Eum summa vi dehortatus est. Sed frustra.

21sq. „Saepe pater dixit ‚studium quid inutile temptas?
Maeonides nullus ipse reliquit opus'"

Gravissimum haud dubie et severissimum fuit patris dehortamentum:

23sq. „Motus eram dictis totoque Helicone relicto
scribere conabar verba soluta modis."

Sed tam insuperabili vi Musae trahebant ad opus suum, ut admonitiones patris ad irritum caderent; nam

25sq. „sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos;
quicquid temptabam dicere, versus erat."

Hoc merito poetam de se enuntiasse, Seneca testimonio insigni confirmat. Illis temporibus, ut notum est, mos erat, ut pueri qui ad honores publicos gerendos educarentur, artibus liberalibus, in primis rhetorica erudirentur et in scholis rhetoricis declamarent. Iis exercitationibus scholasticis praefuerunt magistri rhetoricae, qui et ipsi exempli causa declamabant audientibus et discipulis et amicis. Seneca autem, qui de iis declamationibus multa narrat, de Ovidio, quem ipse declamantem audivit, dicit: „oratio eius iam tum nihil aliud poterat videri quam solutum carmen"[1]).

§ 2. *Ingenium suum excoluit.*

Musis carum acceptumque ingenium suum Ovidius excoluit multis legendis poematis et faciendis iam puerili aetate versiculis. In studiis tamen artium liberalium nihilo minus perseveravit neque sine laude ea confecit. Nam „tunc cum studebat" ait Seneca, „bonus habebatur declamator." „Adeo studiose Latronem audiit, ut multas illius sententias in versus suos transtulerit."

Nec hic Musarum amor eum reliquit cum artium liberalium studiis Romae perfectis ad eruditionem perpoliendam, ut tunc moris erat, Athenas et in Asiam[2]) se contulisset, cum sumpta toga virili primos iuvenilis aetatis honores cepisset et magistratibus minoribus fungeretur. Negotia vero publica eum non delectabant, ad vitam privatam mox rediit: Trist. IV, 10, 35 sqq.

„Curia restabat: clavi mensura coacta est:
maius erat nostris viribus illud onus.
Nec patiens corpus nec mens fuit apta labori,
sollicitaeque fugax ambitionis eram.
Et petere Aoniae suadebant tuta sorores
otia, iudicio semper amata meo."

Itaque ut totum se studiis poeticis tradere posset, curriculum honorum deseruit. Otium suum tribuit carminibus

---

1) Seneca, Controv. II, 10, 8.
2) Trist. I, 2, 77: (non peto quas) quondam petii studiosus, Athenas, oppida non Asiae, non loca visa prius.

legendis faciendisque atque audiendis poetis carmina sua recitantibus.

Nam postquam C. Asinius Pollio (75 a. — 6 p. Chr.) „primus omnium Romanorum advocatis hominibus scripta sua recitavit,"[1]) magnopere Romae in honore esse illae recitationes coeperunt, quibus non solum viri docti adfuerunt sed etiam viri principes civitatis, quibus negotia publica curae erant. Augustus enim ipse, teste Suetonio, „recitantes et benigne et patienter audiit nec tantum carmina et historias sed et orationes et dialogos." [2]) Frequens certe his ingenii exercitationibus Ovidius interfuit; hac Musarum palaestra lubentissime poeseos studio inservivit ingeniumque excoluit et perpolivit.

Trist. IV, 10, 41 sq.

„Temporis illius colui fovique poetas,
quotque aderant vates, rebar adesse deos."

Multi autem poetae illo tempore Romae erant, qui non solum favore et adhortatione virorum in civitate magnorum ut Augusti, Maecenatis, Asinii Pollionis, Valerii Messalae, fruebantur sed etiam familiaritate et sodalicio quodam coniuncti erant et carmina sua nova inter se legebant, censebant, corrigebant.

Complures eorum Ovidio aut audiendo et videndo notos fuisse atque ab eo cultos esse, aut cum eo consuetudinem sodaliciam et familiarem habuisse, ex eius scriptis satis apparet.

Maiores autem natu, quos coluit atque admiratus est, sunt Cornelius Gallus, Vergilius, Tibullus, Horatius, Aemilius Macer.

C o r n e l i u m G a l l u m, qui anno 26 a. Chr. propria se manu interfecit, non noverat fortasse. De eius tamen damnatione et morte certe haud pauca audiverat; nam in elegia in mortem Tibulli facta, dicit: Am. III, 9,

„In Elysia valle Tibullus erit.
Obvius huic venias . . . . . .

1) Seneca, Contr. IV praef. 2.
2) Suet. Aug. 89.

63sq. „tu quoque, si falsum est temerati crimen amici,
sanguinis atque animae prodige Galle tuae."

Vergilium vidit tantum (Trist. IV, 10, 51); non igitur audivit; sed permagni eum fecit, quod testatur A. III, 338, ubi inter carmina quae puellis legenda commendantur, Aeneis affertur,

„quo nullum Latio clarius extat opus."

Tibullum admodum veneratus est. Sed „nec amara Tibullo tempus amicitiae fata dedere meae". (Trist. IV, 10, 51 sq). Mortem eius deploravit pulchra illa elegia, quam recepit inter Amores, III, 9.

Horatium vero saepius audivit, Trist. IV, 10, 49 sq.
„Detinuit nostras numerosus Horatius aures,
dum ferit Ausonia carmina culta lyra."

Maior quidem natu fuit sed familiaritatem quandam praestitit Ovidio Aemilius Macer. Trist. IV, 10, 43 sq.
„Saepe suas volucres legit mihi grandior aevo
quaeque necet serpens, quae iuvet herba Macer."

Aequales autem fere Ovidii erant et sodalicio ei iuncti Propertius, Ponticus, Bassus, Carus, Cornelius Serverus.

Sextus Propertius, „tener" et „blandus" poeta appellatur. Trist. IV, 10, 45 sq.:
„Saepe suos solitus recitare Propertius ignes
iure sodalicio qui mihi iunctus erat."

Ponticus et Bassus, ib.47sq.
„Ponticus heroo, Bassus quoque clarus iambis
dulcia convictus membra fuere mei".

Carus, ad quem ex P. IV, 13:
1 „O mihi non dubios inter memorande sodales
quique, quod es vere, Care vocaris, ave".
43 „At tu, per studii communia foedera sacri,
per non vile tibi nomen amicitiae
quanta potes, praebe nostrae momenta saluti" [1]).

---

1) Caro pueri Germanici Caesaris instituendi mandati erant.

Cornelius Severus, quem Ovidius „iucunde sodalis" appellat, memoratur ex P. I, 8 et IV,2. ex P. I, 8, 1 sq.

„A tibi dilecto missam Nasone salutem
accipe, pars animae magna, Severe, meae".

Praeter hos, qui nomine „sodalis" omnes afferuntur, alii sunt poetae aequales, quorum amicitia et familiaritate usus est Ovidius.

Tuticanus, cuius nomen numeris carminis aptum non erat, ad quem ex P. IV, 12 et 14.

IV, 12, 20 sqq.:

„Paene mihi puero cognite paene puer,
perque tot annorum seriem, quot habemus uterque,
non mihi, quam fratri frater, amate minus.
Tu bonus hortator, tu duxque comesque fuisti,
cum regerem tenera frena novella manu.
Saepe ego correxi sub te censore libellos:
saepe tibi admonitu facta litura meo est," sqq.

Macer (Pomponius Macer fortasse, cui Augustus „ordinandas bibliothecas delegaverat" Suet. Caes. 56) ad quem Am. II, 18 et — cum acerbitate quadam — ex. P. II, 10, comes Ovidio fuit, cum in Asiam et Siciliam itinera fecit.

ex. P. II, 10, 21 sq.:

„Te duce magnificas Asiae perspeximus urbes,
Trinacris est oculis te duce nota meis."
„Saepe brevis nobis vicibus via visa loquendi
pluraque, si numeres, verba fuere gradu" sqq.

Albinovanus Pedo, ad quem ex P. IV, 10, „carissimus" appellatur, „qui perstas indeclinatus amico."

Sabinus, de quo Am. II, 18, 27 sqq., responsa scripsit Heroïdum epistulis:

„quam cito de toto rediit meus orbe Sabinus
scriptaque diversis rettulit ille locis" sqq.

cf. ex P. IV, 16, 13:

„et qui Penelopae rescribere iussit Ulixen."

Cassius Salanus, ad quem ex P. II, 5. quem „iuvenum princeps, cui dat Germania nomen, participem studii Caesar habere solet" (41 sqq.)
II,5,7: „Nam fuerim quamvis modico tibi iunctus ab usu"
63 „Tu quoque Pieridum studio, studiose teneris
ingenioque faves ingeniose, meo"

Satis magnus igitur est numerus poetarum, quos puerili aetate Ovidius audivit viditque, coluit et veneratus est, aut maturioribus in annis sodalicio familiarique vinculo sibi coniunctos habuit. Neque dubium est, quin notitia atque consuetudo horum poetarum, quorum plures vere illustres erant, ad excolendum eius ingenium, perficiendamque et expoliendam eius artem permagnum valuisse. Quare neque mirum est, iis poetis qui tam familiari inter se consuetudine uterentur, plurima argumenta communia fuisse permultasque locutiones similes. Atque saepius eos non data opera sed invitos nonnulla, seu sicut posita essent seu leviter mutata inter se mutuavisse prope necessarium erat. Sic etiam apud Ovidium, qui omnem vitam Musis dedicaverat, permulta inveniuntur quae aliorum versibus aut locutionibus similia sint. Sed cum ingenio, inventione, arte deficientibus de consulto alios imitatum esse, minime credendum est.

§ 3. *Carminibus suis Ovidius mox populo notus erat.*

In illis igitur (cf. pag. 21) conventibus hominum, qui omnes litterarum erant amantissimi, etiam Ovidius admodum puer carmina sua recitavit. Posteroribus annis, ubi iam gravis illa relegationis calamitas ob carmina ei acciderat, in epistula Maximo Cottae scripta grato animo memoriam recolit illius patris M. Valerii Messalae Corvini, qui, ut ait, ex P. II, 3, 77 sq.

„primus, ut auderem committere carmina famae,
impulit: ingenii dux fuit ille mei".

Admodum puerum tunc se fuisse ipse poeta testatur Trist. IV, 10, 57 sq.:

„carmina cum primum populo iuvenilia legi

barba resecta mihi bisve semelve fuit".

Amatoria erant carmina, quae „populo legit", carmina illius generis, quod tunc temporis Romae etiam profano levique vulgo, litteris imbutum ut erat, magnopere placebat. Huic vulgo iucunde vitam agenti, iuvenum luxuriae libidinibus nequitiae deditorum et libertinarum, quas tunc etiam litteris amoenioribus eruditas fuisse Ovidius satis superque demonstrat, scripsit carmina mollia. Huic populo eius „Musa iocosa" mox in deliciis erat: Trist. IV, 10, 56

„notaque non tarde facta Thalia mea est".

At non solum iste popellus eam poesin amabat sed ne viri quidem magni eius aetatis, qua mores graviter erant corrupti, a talibus carminibus abhorrebant. Octavianus enim ipse iuvenis epigrammata scripsit haud diversi generis „quae fere tempore balinei meditabatur" [1]).

Exempla dederunt poetae qui aetate antecesserunt et aequales erant. Itaqua elegia. Tristium libri II, qua Musam moresque suos adversus grave Augusti iudicium excusat et defendit, longam seriem poetarum afferre potuit qui similia aut certe non meliora fecerant. Trist. II 493:

„His ego deceptus non tristia carmina feci".

§ 4. *Carmina primaria relegationis causa fuerunt.*

Quamquam aetate provectiore, cum Augustus, quem libidinosae civium vitae pigebat corruptis moribus frena legibus inhibere conaretur, magis seria scripsit, „turpi carmine" [2]) tamen, Arte sc. amatoria, iram principis tantopere commovit, ut non senatus quidem decreto [3]), verum Caesaris edicto Tomos ire iussus sit:

Trist. II, 494 „... tristis nostros poena secuta iocos."

Licet non Ars sola relegationis causa fuerit sed etiam „error" quidam accesserit, qui principem laederet, carmina

1) Suet. Aug. 85.
2) Trist. II, 211.
3) Trist. II, 131 sq.

tamen praecipuam Caesaris irae causam fuisse, haud difficile est demonstrare.

Non „scelus" enim illud factum fuit, quod eius ruinam traxit, ex P. II. 9, 71:

„nec quicquam quod lege vetor committere feci"

sed „error," qui principi ipsi vulnera fecit et quo graviter hic indoluit [1]). Quem tamen si cognitum habuisset amicus, ad quem Trist. III, 6 scripsit, eius amici consilio sospes fuisset (vs. 13 sq.)

In epistula quam ad Augustum scripsit, Trist. II, ut principis iram mitigaret eiusque numen flecteret ad poenam tutiore et quietiore exilio molliendam (vs. 577) et delicto suo parem reddendam, „duo crimina" nominat, quae ipsum perdiderint: „carmen" et „errorem" (vs. 207). De „alterius facti culpa," quod saepe „errorem" [2]) aliis locis „stultitiam" [3]) aut „simplicitatem" [4]) vocat, silendum sibi esse putat, ne Caesaris vulnera renovet. Ergo facti culpam non magnam fuisse, poeta ipse indicat, dum errorem, stultitiam simplicitatem id nominat.

Tota tamen elegia illa se defendit adversus alterum crimen: (211 sq.) „turpi carmine factus
arguor obsceni doctor adulterii."

Iterum iterumque in hac elegia carmina causam exilii vocat. Iam initio: (vs. 1 sq.)

„Quid mihi vobiscum est, infelix cura, libelli,
ingenio perii qui miser ipse meo"?

Deinde (vs. 7 sq.):

„Carmina fecerunt, ut me moresque notaret,
iam pridem visa Caesar ab Arte meos"

(87) „Ergo hominum quaesitum odium mihi carmine"...

497 sq. „Denique nec video tot de scribentibus unum
quem sua perdiderit Musa: repertus ego."

Perspicuum igitur est ex hac elegia, poetam ipsum car-

---

1) cf. Trist. II, 209.
2) Trist. I, 2. 99 sqq; I, 3, 37 sqq; II, 109; 207; III 6, 26.
3) Trist. III, 6, 35: »stultitiamque meum crimen debere vocari
nomine si facto reddere vera velis".
4) Trist. I, 5, 42: »hanc merui simplicitate fugam".

mina sua, Artem scilicet, relegationis causam fuisse pro certo habuisse. Et cum eam ad Augustum scripserit, ut mitiorem poenam obtineret, credibile non est eum semper semperque falsam exilii causam protulisse: tale mendacium consilio eius vehementer nocuisset.

At Trist. II, 539 sqq. ipse ad Augustum dicit:

„Nos quoque iam pridem scripto peccavimus isto:
supplicium patitur non nova culpa novum:
carminaque edideram, cum te delicta notantem
praeterii totiens iure quietus eques.
Ergo quae iuveni mihi non nocitura putavi
scripta parum prudens, nunc nocuere seni".

Apparet igitur Artem solam non fecisse ut Caesaris ira in caput auctoris erumperet. Sed (Trist. II, 109) „illa die, qua me malus abstulit error"[1]) tum demum Augustus iram diutius continere non potuit:

Trist. III, 6, 26

„principiumque mei criminis error habet".

Qui fuerit ille error, poeta non dicit:

27sqq. „Nec breve, nec tutum, quo sint mea, dicere, casu,
lumina funesti conscia facta mali:
mensque reformidat, veluti sua vulnera, tempus
illud et admonitu fit novus ipse dolor:
et quaecumque adeo possunt adferre pudorem,
illa tegi caeca condita nocte decet.
Nil igitur referam, nisi me peccasse, sed illo
praemia peccato nulla petita mihi,
stultitiamque . . . . " sqq.

Illud factum igitur fortasse semper caeca nocte conditum manebit, quamvis viri docti ingenose inventis caliginem removere conentur.

Hoc vero patet, quicquid acciderit, errorem illum vinculo quodam cohaerere cum carminibus contra bonos mores factis.

---

1) Etiam Cornelio Gallo poetae ab Augusto inter gravissima crimina obiectum est, quod Q. Caecilium Epirotam, qui filiam Attici, nuptam Agrippae, docuerat sed in ea suspectus et ob hoc remotus erat, in domum suam receperat et familiarissime cum eo vixerat. (Suet. Aug. 66.)

Quare factum est, ut poeta tam saepe exclamaverit poesin sibi nocuisse et fugam suam primariam originem habuisse ex studio Musarum. Trist. II, 9:

„deme mihi studium: vitae quoque crimina demes"

Cf. etiam ex P. IV, 13, 42: sq.:

„nocuerunt carmina quondam
primaque tam miserae causa fuere fugae".

Neque mirum igitur est, Sidonium Apollinarem [1], et Aurelium Victorem [2], tres libellos Artis amatoriae unicam relegationis causam tradidisse.

Et re vera Caesarem propter carmina poetae relegato magnopere succensuisse et poetam ergo non iniuria ea primam ruinae suae causam putavisse, satis ex eo apparet, quod etiam eius opera e tribus bibliothecis publicis, quae erant in atrio Libertatis, in templo Apollinis Palatino, in porticu Octaviae, remota sunt [3]). Quare poeta in prima ex Ponto epistula, Bruto scripta (I, 1, 6—10) queritur:

(6) „Publica non audent intra momimenta venire
. . . . sed . . . . latere
(10) sub Lare privato tutius esse putant" [4]).

§ 5. *Propter relegationem carminibus succensuit sed mox ad Musas rediit.*

Cum autem Ovidius carmina tantae suae calamitatis fontem atque originem fuisse nec iniuria pro certo haberet,

---

1) C. Sollius Apollinaris Sidonius, carm. 23, 158 sqq.:
145 »Quid vos . . . . canam" . . . .
158 »et te carmina per libidinosa
notum, Naso tener, Tomosque missum,
quondam Caesareae nimis puellae
ficto nomine subditum Corinnae".

2) (Sext.) Aurelius Victor, de vita et moribus imperatorum romanorum I, 2: (de Augusto) »cumque esset luxuriae serviens, erat tamen eiusdem vitii severissimus ultor, more hominum, qui in ulciscendis vitiis, quibus ipsi vehementer indulgent, acres sunt. Nam et poetam, Ovidium, qui et Naso, pro eo quod tres litellos amatoriae artis conscripserat exilio damnavit".

3) Trist. III, 1, 65 sqq.

4) Bibliothecis quoque privatorum »Arte"interdictum fuisse quod Ribbeck, G. R. D. II pg. 315 contendit, ex Trist. III. 14,5 sqq. et ex P. I, 12 eruere non possum.

quid mirum est eum primo doloris atque desperationis impetu, cum Celsus amicus quominus manum sibi inferret prohibuisset [1]) eiusque verba taedium vitae minuissent [2]), carminibus succensuisse. Nonne humanum est, nonne libenter credamus poetae dicenti se „iratum studiis carminibusque suis" [3]) multa quae iam scripsisset necdum edidisset sua ipsum manu in igne iniecisse? Num iusta causa adest cur ei fidem non habeamus, cum affirmat inter carmina ea fuisse etiam „quaedam placitura"? Iam antea enim „multa quidem scripsi" ait „sed quae vitiosa putavi emendaturis ignibus ipsi dedi." [4])

At talia homines ira tantum aut desperatione perculsi faciunt, ut secum perdant quae amaverint sed a quibus in summa mala abrepti sint. Ita et poeta ipse paulo post de hoc facto dicit, Trist. I, 7, 19 sq.:

„Sic ego non meritos mecum peritura libellos
imposuit rapidis viscera nostra rogis."

Mox tamen iracundia et odium Musarum sedata sunt; poeseos amor rediit. Vix enim ab amicis et coniuge cara — filia tempore profectionis in Africa erat — discesserat et longum in novas sedes iter ingressus erat, cum adhuc navigantem per mare Musae eum ad vetus studium retraxerunt. Et in itinere et longis illis annis, quos in Tomitarum barbarica gente degit, Musa ei solacium ferebat.

Trist. IV, 10, 112:

„Tristia, quo possum, carmine fata levo"
„Ergo, quod vivo durisque laboribus obsto,
nec me sollicitae taedia lucis habent,
gratia, Musa, tibi. Nam tu solacia praebes,
tu curae requies, tu medicina venis."

Et in praeclara et amoena illa elegia, quae est Trist III, 7, ad Perillam, amicam multo minorem natu, quam ipse ut

---

1) ex P. I, 9, 21 sq.
2) ex P. I, 9, 25 sqq.
3) Trist. IV, 10, 63 sq.
4) Trist. IV, 10, 61. Cur A. Riese in praef. editionis suae Vol. I pg. IX haec „non ita severe accipienda" esse censeat, me non perspicere fateor.

pater natam „Pegasidas primus deduxit ad undas" scribit, „se vivere" „sed sic ut vivere nolit",
vs. 9. „et tamen ad Musas, quamvis nocuere reverti."
Eam rogat num studium prius adhuc remaneat;
21 sq. „sed vereor ne te mea nunc fortuna retardet
postque meos casus sit tibi pectus iners."
29 sq. „Pone, Perilla, metum: tantummodo femina nulla
nec iuvenis scriptis discat amare tuis."
45 sq. „En ego, cum patria caream vobisque domoque
raptaque sint, adimi quae potuere mihi,
ingenio tamen ipse meo comitorque fruorque."

§ 6. *Carminibus Ovidius primo gloriam sibi parare studuit, post relegationem oblivia miseriarum quaesivit.*

Ex his omnibus igitur satis persuasum nobis esse potest, Ovidium per omnem aetatem poesin amavisse: iam puerum vi insuperabili ad Musas adductum esse, tempore quo studebat ab earum sacerdotio non defecisse, curriculum honorum deseruisse ut otiosus iis se traderet, et quod maius est, etiam post grave malum quod carminibus suis provocasset, mox ad eas revertisse et apud eas solacium malorum invenisse: denique totam vitam poesi dedicavisse.

Ergone Ovidius cecinit avibus similis quae natura ipsa ad cantandum coguntur nec cogitant quid qui audiunt de cantu suo censeant? Non prorsus ita.

Ut enim, quod Cicero ait, oratores magna auditorum frequentia ad maiorem facultatem evehuntur, ita poetae laudem admirantium plerumque non spernunt. Ovidium autem hac in re ab aliis discrepuisse minime credendum est. Iam mature se favore amicorum et populi incitatum esse, ut non honoribus sed carminibus gloriam sibi pararet, ipse confitetur carmine, quo primum Amorum librum prosecutus est:

Am. I, 15, 1 sqq.

„Quid mihi, livor edax, ignavos obicis annos
ingeniique vocas carmen inertis opus?
Non me more patrum, dum strenua sustinet aetas,

praemia militiae pulverulenta sequi,
nec me verbosas leges ediscere, nec me
ingrato vocem prostituisse foro?
Mortale est, quod quaeris opus: mihi fama perennis
quaeritur, in toto semper ut orbe canar."

Et postquam gloriam aeternam enarravit, quam magni poetae adepti sunt:

41sq. „Ergo etiam cum me supremus adederit ignis,
vivam, parsque mei multa superstes erit."

Etiam cum elegis imbellibus finem facturus Amorum librum III carmine clauderet, his verbis de se promisit,

III,15, 8: „Paelignae dicar gloria gentis ego"
11sqq. „Atque aliquis spectans hospes Sulmonis aquosi
moenia . . . .
‚quae tantum' dicat ‚potuistis ferre poetam
quantulacumque estis, vos ego magna voco'.

Aeternum nomen igitur perpetuamque gloriam carminibus ut adipisceretur, hoc eius studium erat, Trist. I, 1,

53 sq.: „Donec eram sospes, tituli tangebar amore,
quaerendique mihi nominis ardor erat."

Summam gloriam se nactum esse, monumentumque perenne sibi posuisse credebat poeta, cum Metamorphoseon narratione ad finem sibi propositum feliciter perducta epilogum adderet, quo summam exspectationem suam velut triumphans pronuntiavit, Met. XV, 871 sq.:

„Iamque opus exegi, quod nec Iovis ira nec ignis
nec poterit ferrum nec edax abolere vetustas."

Ceterum cum paulo postquam haec scripsit Ovidius Tomos ire iussus esset suo quidem iudicio praecipue propter carmina, desperatione perculsus primo hoc ipsum poema nondum vulgatum in ignem iniecit, iratus Musis et carminibus. Sed mox, ut iam vidimus, Musarum sacerdotium repetivit.

Trist. IV, 1, 27 sqq.

„Non equidem vellem, quoniam nocitura fuerunt,
Pieridum sacris imposuisse manum:
Sed nunc quid faciam? Vis me tenet ipsa sororum,
et carmen demens carmine laesus amo."

Carminibus abstinere non potuit:
Trist. V, 12, 69 sqq.

„Nec tamen, ut verum fatear tibi, nostra teneri
a componendo carmine Musa potest,
Scribimus et scriptos absumimus igne libellos:
exitus est studii parva favilla mei!" [1])

At nunc iam non erat gloriae studium, quod ad poesin eum instigabat: Trist. IV, 1, 3, sq.

„requies . . . mihi, non fama petita est,
mens intenta suis ne foret usque malis."

Trist. V, 7, 39 sq.

„Detine studiis animum falloque dolores,
experior curis et dare verba meis."

67 sq. „Carminibus quaero miserarum oblivia rerum:
praemia si studio consequar ista, sat est." [2])

Tunc, cum carminibus iam gloriam non captabat sed nihil aliud quam miseriarum oblivium quaerebat, quam diversa eius carmina erant ab illis, quae gloriae cupidine ductus composuit. Quam laeta et iocosa, quam plena variarum elegantiarum et ingenii erant illa: quam tristia plerumque et unisona sunt haec. In immensum repetitae sunt querelae de terribili illo loco ab urbe tam longe remoto, quo relegatus erat; uno tenore iterantur preces et ad Augustum et ad fautores et amicos, ut sibi mitior et urbi propior exilii regio contingat. Postremo fractum paene et obtusum erat eius ingenium; faciles quidem plerumque sunt et leviter fluunt quos scribit versus: ex P, IV, 2, 15 sq.

„nec tamen ingenium nobis respondet, ut ante,
sed siccum sterili vomere litus aro".

Postquam multos iam annos frustra Augusti veniam

1) cf. Trist. IV, 1, 101 sqq.
2) Cf. etiam Trist. V, 1, 75 sq. V, 7, 37 sqq.

exspectavit, poeta ipse facultatem ingenii paulatim decrescere sentit et vitiis ut ignoscatur rogat; nam

ex P. IV, 2, 25 sq.

„Impetus ille sacer, qui vatum pectora nutrit,
qui prius in nobis esse solebat, abest."

Quomodo autem hanc rem poeta ipse Cornelio Severo amico explicat?

ib. 29 sqq.

„Parvaque ne dicam scribendi nulla voluptas
est mihi, nec numeris nectere verba iuvat.
sive quod hinc fructus adeo non cepimus ullos,
principium nostri res sit ut ista mali:
sive quod in tenebris numerosos ponere gestus,
quodque legas nulli, scribere carmen, idem est.
Excitat auditor studium, laudataque virtus
crescit et immensum gloria calcar habet."

At, quaeris, cur tandem carmina scripsit illo tempore, eo loco, ubi nemo eum audivit?

ib. 39 sqq.

„Sed quid solus agam, quaque infelicia perdam
otia materia surripiamque diem?
Nam quia nec vinum nec me tenet alea fallax,
per quae clam tacitum tempus abire solet,
nec me — quod cuperem, si per fera bella liceret —
oblectat cultu terra novata suo,
quid nisi Pierides, solacia frigida, restant,
non bene de nobis quae meruere deae?"

Ex his autem perspicuum est, quantopere Ovidius postrema aetate, qua haec scripta sunt, ab illo priorum temporum poeta, quem spiritus magnus et gloriae studium excitarent, degeneraverit. Sed iam antea quoque amico, qui scripserat ut studio poeseos tempus lacrimabile oblectaret, respondit id difficile esse, quia mala ingenium contuderint vigoremque antiquum abstulerint, Trist. V, 12, 37 sqq.:

„denique non parvas animo dat gloria vires
et fecunda facit pectora laudis amor.
Nominis et famae quondam fulgore trahebar,
dum tulit antemnas aura secunda meas.

Non adeo est bene nunc, ut sit mihi gloria curae;
si liceat, nulli cognitus esse velim."

§ 7. *Carmina expolire solebat.*

Cum autem gloriae cupiditas decessisset et antiquus ingenii vigor decresceret, facultas quoque et industria recesserunt. Quo paulatim factum est, ut poeta non laboraret, ut quae scripsisset corrigeret et sedulo expoliret. Inde praeter multas iterationes et quod tam saepe eadem fere rogat et quaeritur, vitia quoque quaedam et menda, quae ipse vidit observavitque et reprehendit.

ex P. III, 9, 7 sqq.

„Ipse ego librorum video delicta meorum"
12 „Nec quidquid genui, protinus illud amo.
Cur igitur, si me video delinquere, peccem
et patiar scripto crimen inesse, rogas?
Non eadem ratio est, sentire et demere morbos:
sensus inest cunctis, tollitur arte malum.
Saepe aliquod verbum cupiens mutare reliqui,
iudicium vires destituuntque meum.
Saepe piget — quid enim dubitem tibi vera fateri? —
corrigere et longi ferre laboris onus.
Scribentem iuvat ipse labor minuitque dolorem,
cumque suo crescens pectore fervet opus:
corrigere at res est tanto magis ardua, quanto
magnus Aristarcho maior Homerus erat."

Ex his apparet, poetam antea, cum gloriam captaret, eique antiquus ingenii vigor adesset, solitum fuisse carmina iam scripta sedulo corrigere, emendare, expolire. Atque eum in eo labore saepius amicorum et familiarium auxilio atque iudicio usum esse, supra, pg. 21 sqq. et praesertim pg. 23, iam vidimus.

Hoc enim studium expoliendi ne post relegationem quidem continuo interierat. Et gloriae cupiditas et facultas ingenii et emendandi industria, vinculo quodam arto inter se connexae, pedetentim annis exilii praetereuntibus decre-

verunt, dum spes reditus magis magisque minuebatur. Primis enim annis, dum adhuc magna erat spes mitiorem fore principis animum, carminibus plus adhibuit industriae, quam posteriore tempore, cum animum iam desponderat. Tunc etiam plus viguit amor, quo sua ipse poemata amplectitur. Tunc ab iis adhuc laeto animo aeternum nomen speravit. Itaque cum morbo afflictus mortem ante oculos vidisset ideoque uxori elogium sepulcro suo aliquando incidendum mandaret, huic scripsit, Trist. III, 3, 77 sqq.:

„maiora libelli
et diuturna magis sunt monimenta mihi,
quos ego confido, quamvis nocuere, daturos
nomen et auctori tempora longa suo".

Et eodem fere tempore Perillae, Trist. III, 7, 45 sqq.:

„Nil non mortale tenemus
pectoris exceptis ingeniique bonis."

53sq. „Tu quoque, quam studii maneat felicior usus
effuge venturos, qua potes, usque rogos".

§ 8. *Carminibus iam vivus magnum nomen adeptus et multorum amicitia et favore usus est.*

Carminibus ergo gloriam nomenque aeternum et poetis quaerendum esse et a se prope omni aetate esse quaesitum Ovidius saepius profitetur. Idque se iam vivum consecutum esse sibi persuasum habuit iam tunc, cum Amorum libros confecit, Am. I, 15, 41 sq. et Am. III, 15, 8 sqq. (vide pg. 30 sq.). Sic etiam cum quartum Tristium librum Romam missurus epilogo instruxit, quo „posteritati" vitam suam narraret, gratum Musis animum testatur, quae ipsi hactenus solacio fuerint et quod semper quaesivisset benigne praestiterint.

Trist. IV, 10, 117 sqq.

„Gratia, Musa, tibi. Nam tu solacia praebes
tu curae requies, tu medicina venis,
tu dux et comes es, tu nos abducis ab Histro
in medioque mihi das Helicone locum.
Tu mihi, quod rarum est, vivo sublime dedisti

nomen, ab exsequiis quod dare fama solet;
nec qui detrectat praesentia, Livor iniquo
ullum de nostris dente momordit opus.
Nam tulerint magnos cum saecula nostra poetas,
non fuit ingenio fama maligna meo.
Cumque ego praeponam mihi multos, non minor illis
dicor et in toto plurimus orbe legor.
Si quid habent igitur vatum praesagia veri,
protinus ut moriar, non ero, terra, tuus.
Sive favore tuli, sive hanc ego carmine famam
iure, tibi grates, candide lector, ago".

Itaque et libri sui et nomen ab iis sibi comparatum semper, etiam cum Tomis exul erat, ei cordi fuerunt. Quare cum carmina eius bibliothecis publicis arcerentur, amico, qui tamen ea collegit, gratias egit, quod ne totus videretur abesse, cavisset.

Trist. III, 14, 1 sqq.

„Cultor et antistes doctorum sancte virorum,
quid facis, ingenio semper amice meo?
Ecquid, ut incolumem quondam celebrare solebas,
nunc quoque, ne videar totus abesse, caves?
Colligis exceptis ecquid mea carmina solis
Artibus, artifici quae nocuere suo?
Immo ita fac, quaeso, vatum studiose novorum,
quaque potes, retine corpus in urbe meum".

Etiam populo iam vivum se in deliciis fuisse carminaque sua in theatris saltata esse atque placuisse, ipse auctor est. Cum Artem suam adversus Augustum defenderet eamque a moribus eius aetatis non abhorrere contenderet, principem admonuit, carminibus a se factis eum saepe in theatris oblectatum esse, Trist. II, 519 sq.:

„Et mea sunt populo saltata poemata saepe
saepe oculos etiam detinuere tuos."

Quamvis carminibus suis in theatris plaudi non magni faceret, gaudio tamen affectus est, cum amicus carmina etiamnunc populo placere scriberet, Trist. V, 7, 25 sqq.

„Carmina quod pleno saltari nostra theatro

versibus et plaudi scribis, amice, meis;
nil equidem feci — tu scis hoc ipse — theatris,
Musa nec in plausus ambitiosa mea est.
Non tamen ingratum est quodcumque oblivia nostri
impedit et profugi nomen in ora refert."

Maioris tamen est momenti, quod Ovidius multorum, qui litterarum erant amantissimi, amicitia et virorum, qui summos in civitate honores gerebant, favore usus est.

Praeter enim poetas, quos amicos et sodales eius fuisse iam supra cognovimus, alii etiam sunt, qui a poeta ipso nominantur.

Celsus amicissimus fuit et unus eorum quos Ovidius laudat, Trist. I, 5, 33 sq.:

„Vix duo tresve mihi de tot superestis amici:
cetera Fortunae, non mea turba fuit"

Mors ergo eius gravi Ovidium affecit dolore, ex P. I, 9. Ibi de eo dicit, vs. 15 sqq.:

„Adfuit ille mihi, cum me pars magna reliquit,
Maxime, fortunae nec fuit ipse comes.
Illum ego non aliter flentem mea funera vidi,
ponendus quam si frater in igne foret.
Haesit in amplexu consolatusque iacentem est,
cumque meis lacrimis miscuit usque suas.
O quotiens vitae custos invisus amarae
continuit promptas in mea fata manus!" sqq.

Atticus, ad quem Am. I, 9, ex P. II, 4 et 7 scripsit, familiarissimus fuit et sodalis, unus ex iis (ex P. II, 7,82,) „quorum spectata est per mala nostra fides"

ex P. II, 4, 13 sqq:

„Saepe tuas venit factum modo carmen ad aures
et nova iudicio subdita Musa tuo est.
Quod tu laudaras, populo placuisse putabam:
hoc pretium curae dulce regentis erat.
Utque meus lima rasus liber esset amici,
non semel admonitu facta litura tuo est".

Brutus etiam fidissimus amicus erat, ex P. IV, 6, 23

sqq.: „Nam cum praestiteris verum mihi semper amorem
hic tamen adverso tempore crevit amor''.

Huic ex Ponto libros I, II, III in unum corpus collectos commendavit. ex P. I, 1 et III, 9.

(L.) Iunius Gallio, quem ex P. IV, 11 de coniugis morte consolatus est, [1]) familiaris quoque erat, „tu quoque enim .... fovisti lacrimas vulnera nostra tuis", ex P. IV, 11, 3 sq.

His ab Ovidio ipso memoratis duo addi possunt, ex Seneca et Suetonio noti:

P. Vinicius „exactissimi vir ingenii, qui nec dicere res ineptas nec ferre poterat" [2]) „summus amator Ovidii fuit" [3])

et C. Julius Hyginus. Hic „Augusti libertus... praefuit Palatinae bibliothecae..... fuitque familiarissimus Ovidio poetae" [4]).

Inter viros in civitate nobiliores, quorum favore Ovidius fruebatur, primum locum obtinet M. Valerius Messala Corvinus ille, qui cum Maecenate et Asinio Pollione fautores adhortatoresque virorum doctorum se praestiterunt. De eo autem ad eius filium Cottam Ovidius ex P. II, 3, 75 sqq. scribit:

„Me tuus ille pater Latiae facundia linguae
quae non inferior nobilitate fuit,
primus ut auderem committere carmina famae,
impulit: ingenii dux fuit ille mei".

Et ex P. I, 7, 28sqq.:

„Hortator studii causaque faxque mei

---

1) cf. IV, 11, 21 sq.
2) Seneca, Contr. VII, 5, 11.
3) Seneca, Contr. X, 4, 25.
4) Suetonius, de gramm. 20. Sunt qui hunc Hyginum illum fuisse contendant, qui Trist. III, 14, 1 sqq. »cultor et antistes doctorum sancte virorum« appellatur et cui Ovidius Metamorphoses commendat.
Sed hoc minime constat.

cui nos et lacrimas, supremum in funere munus,
et dedimus medio scripta canenda foro".

Huius filius quoque M. Valerius Corvinus Messala vel Messalinus aliqua ex parte Ovidio favebat:
ex P. I, 7, 15 sq.: „cultorum turba tuorum,
in quibus, ut populo, pars ego parva fui".
ex P. II, 2, 103 sq.:
„Ingenii certe, quo nos male sensimus usos,
Artibus exceptis, saepe probator eras".
Quamquam „domus vestrae primis venerator ab annis" (ex P. II, 2, 1), familiaris certe Messalino Ovidius non erat.

At alius Messalae filius, multo minor natu, qui ab avunculo adoptatus M. Aurelius Cotta Maximus vel Messalinus appellatus est, sincera familiaritate Ovidium sibi coniungere non est dedignatus amicitiamque ei praestitit. Nam ex P. II, 3, 29 sqq.:

„Cumque alii nolint etiam me nosse videri
vix duo proiecto tresve tulistis opem.
Quorum tu princeps .... sqq".
61 „Ira quidem primo fuerat tua iusta, nec ipso
lenior, offensus qui mihi iure fuit".
65 „Ut tamen audita est nostrae tibi cladis origo
diceris erratis ingemuisse meis.
Tum tua me primum solari littera coepit
et laesum flecti spem dare posse deum".

cf. etiam II, 3, 83 sqq.

C. Pomponius Graecinus eiusque frater L. Pomponius Flaccus inter fautores Ovidii numerandi sunt.

„Hanc (anxietatem sc. animi) nisi tu pariter simili cum fratre levares
vix mens tristitiae nostra tulisset onus.
Vos estis fracto tellus non duro phaselo;
quamque negant multi, vos mihi fertis opem".

Quamquam, Graecinus, licet fuerit sodalis et fortasse ille quem poeta Am. II, 10 alloquitur, severe de Ovidii peccato censuit, ex P. II, 6, 5 sq.:

„corripis, ut debes, stulti peccata sodalis
et mala me meritis ferre minora doces".

Paulus Fabius Maximus, quem permagni aestimabat Ovidius quemque auxilium sperabat laturum esse, ut aliquando tandem redire sibi liceret, ex. P. I, 2, 129 sqq.

„Ille ego sum, qui te colui, quem festa solebat
inter convivas mensa videre tuos:
ille ego, qui duxi vestros Hymenaeon ad ignes
et cecini fausto carmina digna toro;
cuius te solitum memini laudare libellos
exeptis domino, qui nocuere suo;
cui tua nonnumquam miranti scripta legebas;
ille ego, de vestra cui data nupta domo est."

Sextus Pompeius, ad quem ex P. IV, 1; 4; 5; 15, poetam Tomos iter facientem et auxilio et opibus sustentasse videtur.

ex P. IV, 5, 31 sqq.

„Vivit adhuc vitamque tibi debere fatetur,
quam prius a miti Caesare manus habet.
Te sibi, cum fugeret, memori solet ore referre
barbariae tutas exhibuisse vias:
sanguine Bistonidum quod non tepefecerit ensem,
effectum cura pectoris esse tui:
addita praeterea vitae quoque multa tuendae
munera, ne proprias attenuaret opes."

(cf. etiam IV, 1, 23 sq.)

Germanicus Caesar, cui Fastos dedicavit Ovidius, benevolo propitioque erga eum animo fuisse videtur. cf. II, 1, 25 et IV, 8, 67.

Ovidium fuisse poetam ingeniosum, qui totum se poesi tradiderit, ingeniumque suum primis inde ab annis Musis gratum acceptumque lectione, auditione familiarique consuetudine multorum optimorumque ex parte poetarum excoluerit, cui igitur admodum facile fuerit quae cogitavisset versuum numeris condere, qui praeterea carminibus suis ex-

poliendis ante relegationem quidem multum studii industriaeque tribuerit, ideoque ex iis magnam gloriam quaesiverit atque iam vivum se adeptum esse putaverit, ex ipsius operibus satis superque cognovimus.

Cum his autem, quae de poesi sua ipse admonuerit, oportet quae ab eo relicta sunt poemata haud discrepare. Sed ut merito haec ommia de se Ovidium professum esse et re vera eius opera tali poeta indigna non esse appareat, opus est, quae aequales et posteriores de eo scriptisque eius iudicaverint, inquirere.

CAPUT III.

QUAE AEQUALES, POSTERIORES, RECENTIORES DE OVIDIO MEMORIAE PRODIDERINT ET IUDICAVERINT.

§ 1. *Seneca, rhetor, quae de Ovidio tradiderit et iudicaverit.*

Quamvis Ovidii temporibus multi poetae aliique scriptores Romae fuerint, admodum pauci tamen eorum nomen eius et scripta memorant. Nam, qui aetate maiores erant, Vergilius, Tibullus, Horatius, Propertius multo ante Ovidium diem obierunt; et ceterorum, qui tunc floruerunt, auctorum scripta aut omnino aut maxima ex parte aetatem non tulerunt. Itaque aequalium Seneca pater solus fere est, qui de Ovidio nonnulla memoriae prodidit. Nam quod Ovidio cum Propertio vel Propertio cum Ovidio haud pauca argumenta, sententiae. locutiones communia sunt, quae res ex sodalicio et familiari consuetudine facile atque optime explicari potest, quodque nomen Corinnae apud Propertium occurrit, huc non pertinet.

Annaeus Seneca autem, Cordubensis, rhetor, pater Lucii Annaei Senecae philosophi, amico haud dubie erga Ovidium animo fuit. Ille viginti fere annis huic superstes amplius decem tamen annis maior natu erat. Nam „omnes" inquit Seneca[1]) „magni in eloquentia nominis excepto Cicerone videor audisse; ne Ciceronem quidem aetas mihi eripuerat, sed bellorum civilium furor, qui tunc orbem totum pervagabatur, intra coloniam meam me continuit: alioqui in illo

1) Contr. I, praef. 11.

atriolo, in quo duos grandes praetextatos ait secum declamasse, potui adesse illudque ingenium . . . . cognoscere et . . . . vivam vocem audire."

Is igitur, cum Romae longum tempus tereret audiendis oratoribus et rhetoribus, Ovidium quoque optime cognitum habebat, multaque de eo narrat. Longe tamen plurima, quae de eo tradidit, ut res ipsa fert, ad artem declamatoriam spectant.

Ex eius libris enim, quibus tam perspicuam declamationum et declamatorum imaginem imprimis liberis suis M. Annaeo Novato, L. Annaeo Senecae, M. Annaeo Melae depinxit, Ovidium Arellii Fusci [1]) rhetoris auditorem et discipulum fuisse scimus [2]).

Maxime vero M. Porcii Latronis [3]) admirator fuit, cum diversum sequeretur dicendi genus. „Adeo autem studiose Latronem audiit, ut multas illius sententias in versus suos transtulerit." Huius rei a Seneca exemplum affertur. „In armorum iudicio dixerat Latro: ‚mittamus arma in hostes et petamus'. Naso dixit:

‚Arma viri fortis medios mittantur in hostes;
inde iubete peti'. " [4])

„Et alium ex illa suasoria sensum aeque a Latrone mutuatus est."

Tertium exemplum commemorat Seneca: „Memini Latronem in praefatione quadam dicere, quod scolastici quasi carmen didicerant: ‚non vides ut immota fax torpeat, ut

---

1) Arellius Fuscus maior natu erat quam Seneca, qui Contr. II praef. 1 dicendi genus eius describit. Praeter Ovidium discipulus eius nominatur Papirius Fabianus.

2) Contr. II, 10, 8.

3) M. Porcius Latro, Hispanus, a prima pueritia usque ad ultimum diem familiaris Senecae. Condiscipuli erant Latro et Seneca Romae apud Marullum rhetorem. Dicendi genus eius describitur a Seneca, Contr. I praef. 13—24.

Discipuli eius erant Ovidius, Florus, Fulvius Sparsus, Abronius Stilo. Apud Romanos Latroni contigit, ut discipuli non audiri desiderarent, sed contenti essent audire. (Seneca, Contr. IX, 2, 23).

4) Metam. XIII, 121 sq.

exagitata reddat ignes? Mollit viros otium, ferrum si carpitur et rubiginem ducit, desidia dedocet.' Naso dixit

'Vidi ego iactatas mota face crescere flammas
et rursus nullo concutiente mori' "[1])

Deinde Ovidium compto et decenti et amabili ingenio fuisse Seneca docet;[2]) orationemque eius iam tum nihil aliud potuisse videri quam solutum carmen. „Tunc, cum studeret habebatur bonus declamator"[3]). „Declamabat autem Naso raro controversias et non nisi ethicas; libentius dicebat suasorias. Molesta illi erat omnis argumentatio"[4]).

Servavit quoque Seneca controversiam, quam ipse Ovidium declamantem audiverat[5]). „Hanc declamavit ante Arellium Fuscum" et, ut Senecae videbatur, „longe ingeniosius" (quam Fuscus sc.) „excepto eo, quod sine certo ordine per locos discurrerat". Thema erat hoc: „Vir et uxor iuraverunt, ut si quid alteri optigisset, alter moreretur. Vir peregre profectus misit nuntium ad uxorem, qui diceret decessisse virum. Uxor se praecipitavit. Recreata iubetur a patre relinquere virum; non vult. Abdicatur".

De amicis porro Ovidii deque familiari quae inter eos intercessit necessitudine Seneca quaedam tradidit.

P. Vinicius, ut supra iam vidimus, summus amator Ovidii fuit. De eo Seneca hoc narrat[6]). Cum Labienus in controversia quadam dixisset sententiam 'date miseris quod unum percipere gaudium possunt' Vinicius „hunc aiebat sensum disertissime apud Nasonem Ovidium esse positum, quem ad fingendas similes sententias aiebat memoria tenendum. Occiso" enim „Achillle hoc epiphonema poni:

1) Am. I, 2, 11 sq.
2) Contr. II, 10, 8.
3) ib. 9.
4) ib. 12.
5) Contr. II, 10, 9—12.
6) Contr. X, 4, 24 sq,

‚quod Priamus gaudere senex post Hectora posset
hoc fuit'"[1]).

In amicis, quos iam ex Ovidio ipso cognovimus, L. Iunius Gallio quoque erat. Hic amicus etiam Senecae rhetoris fuit, eiusque filium maximum natu, M. Annaeum Novatum adoptavit. De hoc autem Gallione, qui postea eundem casum tulit, quem amicus Naso, cum a Tiberio Caesare et senatu et Italia removeretur, Seneca narratiunculam tradidit[2]), quam hic inserere liceat, quoniam aeque ad Ovidium pertinet.

Arellius Fuscus, qui ex Vergilio multa trahere solebat, ut Maecenati imputaret, in suasoria quadam imitatus erat Vergilianum ‚plena deo'. Hanc imitationem commemoranti Senecae in mentem venit Gallionem suum hoc aptissime ponere solere. „Memini" inquit „una nos ab auditione Nicetis ad Messalam venisse. Nicetes[3]) suo impetu valde Graecis placuerat. Quaerebat a Gallione Messala, quid illis visus esset Nicetes? Gallio ait: ‚plena deo'.
Quotiens audierat aliquem ex his declamatoribus quos scolastici caldos vocant, statim dicebat ‚plena deo'. Ipse Messala numquam aliter illum ab novi hominis auditione venientem interrogavit, quam ut diceret ‚numquid plena deo?' Itaque hoc ipsi iam tam familiare erat, ut invito quoque excideret. Apud Caesarem cum mentio esset de ingenio Haterii[4]), consuetudine prolapsus dixit ‚et ille erat plena deo'. Quaerenti'" (sc. Tiberio Caesari) „deinde, quid hoc esse vellet, versum Vergilii retulit et quomodo hoc semel sibi apud Messalam excidisset et numquam non postea potuisset excidere. Tiberius ipse

1) Met XII, 602 sq.
2) Suas. 3, 5 sqq.
3) Nicetes... »nobilissimus artis rhetoricae Graecus praeceptor habetur." (Hieron.) »Nulli alii contigisse scio quam apud Graecos Niceti.... ut discipuli... contenti essent audire,' (Seneca, Contr. IX, 2, 23).
4) Q. Haterius promptus et popularis orator. (Seneca. Contr. praef. 7—11:) »Declamabat Haterius admisso populo ex tempore.... tanta erat eius velocitas orationis ut vitium fieret" sqq.

Theodoreus [1]) offendebatur Nicetis ingenio, itaque delectatus fabula Gallionis:

hoc autem dicebat Gallio Nasoni suo valde placuisse, itaque fecisse illum" (Nasonem sc.) „*quod in multis aliis versibus Vergilii fecerat, non surripiendi causa, sed palam mutuandi hoc animo, ut vellet agnosci;* esse autem in tragoedia eius:

'feror huc illuc, ut plena deo'".

Altera e vita familiari Ovidii eiusque amicorum narratiuncula, prorsus digna, quae ab oblivione vindicetur, invenitur Contr. II, 10, 12:

„Verbis" (Naso) „minime licenter usus est nisi in carminibus, in quibus non ignoravit vitia sua sed amavit. Manufestum potest esse, quod rogatus ab amicis suis, ut tolleret tres versus, invicem petiit, ut ipse tres exciperet, in quos nihil illis liceret. Aequa lex visa est; scripserant illi, quos tolli vellent, secreto, hic quos tutos esse vellet: in utrisque codicillis idem versus erant, ex quibus primum fuisse narrabat Albinovanus Pedo, qui inter arbitros fuit:

'semibovemque virum, semivirumque bovem' [2])

secundum:

'et gelidum Borean egelidumque Notum' " [3])

Talia autem Ovidium re vera non solum iuvenili sed etiam posteriore aetate amavisse, rectissimeque igitur haec quae a Seneca narrantur, qualis fuerit Ovidius poeta, demonstrare et significare, apparet ex eo, quod eadem fere posuit, Trist. IV, 7, 16:

---

1) De Theodoreis cf. Quintil. III, 1, 17 sq.: »Praecipue tamen in se converterunt studia Apollodorus Pergamenus, qui praeceptor Apolloniae Caesaris Augusti fuit, et Theodorus Gadareus, qui se dici maluit Rhodium: quem studiose audisse, cum in eam insulam secessisset, dicitur Tiberius Caesar. Hi diversas opiniones tradiderunt appellatique inde Apollodorei et Theodorei, ad morem certas in philosophia sectas sequendi".
Etiam Quintilianus Theodoreus fuisse videtur.

2) Art. am. II, 24.

3) Am. II, 11, 10.

‚tergeminumque virum tergeminumque canem'

cf. etiam vs. 18:

‚centimanumque Gygen semibovemque virum'

His addi potest iudicium Ovidii de versibus Varronis [1]):

‚Desierant latrare canes urbesque silebant;
omnia noctis erant placida composta quiete'

„Solebat Ovidius de his verbis dicere, fieri potuisse longe meliores, si secundi versus ultima pars absideretur et sic desineret:

‚omnia noctis erant' [2]).

Varro quem voluit sensum optime explicuit, Ovidius in illius versu suum sensum invenit: aliud enim intercisus versus significaturus est, aliud totus significat".

At quamvis Seneca Ovidium summi virum ingenii putaret, vitia tamen eius haud ignoravit et hic illic indicavit. Non solum enim, quod oratio eius tunc cum studeret nihil aliud poterat videri quam solutum carmen, [3]) et quod in declamatione illa sine certo ordine per locos discurrerat [4]) et *quod in carminibus certe verbis licenter usus est,* [5]) sed etiam *quod nescit quod bene cessit relinquere* [6]).

Huius vitii exemplum affert. Votienus Montanus, Narbonensis orator, „homo rarissimi etiamsi non emendatissimi ingenii, qui vitium suum quod in orationibus non evitat in scolasticis quoque evitare non potuit," „habebat hoc vitium: sententias suas repetendo corrumpit; dum non est conten-

1) Contr. VII, 1, 27.
2) R. Merkel, Ovidius Vol. II, praef 25, ex his testimonium petit ad firmandam opinionem suam Ovidium Vergiliano exemplo versuum particulas aut hemistichia reliquisse et hoc data opera nec sine artificio et ab Vergilio et ab Ovidio factum esse. Iniuria, opinor.
3) Contr. II, 10, 8.
4) Contr. II, 10, 9.
5) Contr. II, 10, 12.
6) Contr. IX, 28, 17.

tus unam rem semel bene dicere efficit ne bene dixerit. Et propter hoc et propter alia quibus orator potest poetae similis videri solebat Scaurus [1]) Montanum inter oratores Ovidium vocare; nam et *Ovidius nescit quod bene cessit relinquere.*

Ne multa referam, quae Montaniana Scaurus vocabat, uno hoc contentus ero: cum Polyxena esset abducta, ut ad tumulum Achillis immolaretur, Hecuba dicit:

cinis ipse sepulti'

'in genus hoc pugnat [2])

Poterat hoc contentus esse; adiecit:

'tumulo quoque sensimus hostem'.

Nec hoc contentus est; adiecit:

'Aeacidae fecunda fui'.

Aiebat autem Scaurus rem veram: non minus magnam virtutem esse scire dicere quam scire desinere." [3])

Haec, quam Seneca reprehendit, iteratio sententiarum in Ovidii carminibus tam saepe occurrit, ut de hoc quoque vitio Seneca merito dicere potuerit, id quod de alio illo supra memorato dixit: poetam vitia sua non ignorasse sed amasse. Huius autem rei explicationem Seneca affert eodem loco: [4]) „Ex quo apparet summi ingenii viro non iudicium defuisse ad compescendam licentiam carminum suorum sed animum. Aiebat interim decentiorem faciem esse, in qua aliquis naevus fuisset." [5])

Ultimum quod ex Seneca afferendum puto est in excerptis libri III, controv. 7. „Alfius Flavus" in controversia

1) M. Aemilius Scaurus Mamercus, non tantum disertissimus homo sed venustissimus (Contr. I, 2, 22).

2) Met. XIII, 503 sqq. Editiones Ovidianae secundum codices habent: 'in genus hoc s a e v i t'.

3) Ita edidit A. Kiessling. Fortasse Seneca dicere voluit: 'non minus magnam virtutem quam scire dicere esse scire desinere?

4) Contr. II, 10, 12.

5) Locum dedi secundum editionem A. Kiesslingii. Vitiosum certe est vocabulum 'fuisset'. Melius est legere 'esset' aut cum Burs. 'inesset'.

quadam „hanc sententiam dixit: ‚ipse sui et alimentum erat et damnum'. Hunc Cestius, quasi corrupte dixisset obiurgans: ‚apparet' inquit ‚te poetas studiose legere; iste sensus *eius est, qui hoc saeculum amatoriis non artibus tantum sed sententiis implevit'*.

Ovidius enim in libris metamorphoseon dicit: [1])

‚ipse suos artus lacero divellere morsu
coepit et infelix minuendo corpus alebat'."

Supra iam vidimus, Ovidium sibi persuasum habuisse se iam vivum carminibus sublime nomen adeptum esse. Quod nec immerito eum de se praedicasse nec falsum esse quod dixit: „in toto plurimus orbe legor", hoc testimonio a Seneca allato egregie confirmatur.

Non tantum enim quod carmina eius, in primis amatoria, a vulgo discebantur et in theatro saltando canebantur atque placebant, etiam viri eruditi et scholastici versus ex eius carminibus tam amatoriis quam aliis sumptos in promptu habebant [2]).

§ 2. *Aliorum primi post Chr. n. saeculi auctorum iudicia et testimonia.*

Non frustra sane Ovidius confisus est, [3]) libellos diuturna sibi fore monumenta, „daturos nomen et auctori tempora longa suo." Nam nomen eius non paucos post annos in oblivionem recidit, sed plurimi scriptores latini aut nomen eius et carmina afferunt aut his imitandis vel alio modo ostendunt Sulmonensis poetae opera viris eruditis litterarumque amantibus in manu fuisse.

Quin etiam apud posteriores eius in poesi et praecipue quidem in re metrica plurimum viguit auctoritas. Quae re vera tam magna fuit, ut poetae recentiores praeter Ver-

---

1) VIII, 877 sq.
2) Cf. Seneca, Contr. I, 2, 22.
3) Trist. III, 3, 77 sqq.

gilium maxime Ovidium sequerentur poeseos et artis metricae auctorem. Magnus igitur est numerus auctorum, qui iudice Luciano Mullero Nasonem secuti sunt. Haec enim est series quam ille refert:[1] „auctores Priapeorum, Columella, Lucanus, Homerus Latinus, Calpurnius, auctor ad Pisonem, Seneca, Martialis, Nemesianus, Palladius, Claudianus, Rutilius, Merobaudes, Avianus, Sedulius, Arator, Boethius, plerique poetarum minorum."

Etiamsi non hos omnes Ovidium poeseos et artis metricae auctorem sibi proposuisse certis argumentis demonstratum sit, sat magnus tamen numerus restat scriptorum, qui illum per multa saecula nomen magni ingeniosique poetae retinuisse ostendunt.

Praeter hos vero complures etiam scriptores sunt, qui aut quid de Ovidio poeta iudicaverint scriptis suis mandaverunt, aut alio modo testati sunt, eum a se minime neglectum vel potius magni aestimatum esse.

Itaque primo scriptores primi post Chr. n. saeculi adeamus. Ex his duo viri magni quorum iudicium haud parvi faciendum est, primarium locum obtineant, Seneca sc. philosophus et Quintilianus.

L. Annaeus Seneca, Cordubensis, philosophus, filius Senecae rhetoris, propter multa, quibus poetae similis est, aliquando ‚der Ovid der Prosa' est appellatus.[2] Is autem Ovidium ipsum non noverat quidem, sed a patre amorem saltem illius poetae et declamatoris acceperat. Permultos enim ex eius carminibus versus laudando saepiusque nomen aut opera citando testatur, quanti eum fecerit. At Seneca, quamvis Ovidium „poetarum ingeniosissimum" appellet, non omni tamen ex parte eum laudat. Uno enim loco eum reprehendit, atque id ubi ex Metamorphoseon libris, qui alioquin ei in deliciis erant, sententiam refert: Nat Quaest. III, 27, 13.

Ibi narrat, cum fatalis dies diluvii venerit, quemadmo-

---

1) d. r. m.[2] pg. 145.
2) A. Boeckh, Encycl. pg. 707.

dum magna pars terrarum undis obruatur, „ergo insularum modo eminent

montes et sparsas Cycladas augent

ut ait ille poetarum ingeniosissimus egregie, sicut illud pro magnitudine rei dixit:

‚omnia pontus erant, deerant quoque litora ponto' [1])

nisi tantum impetum ingenii et materiae ad pueriles ineptias reduxisset:

‚nat lupus inter oves, fulvos vehit unda leones.' [2])

Non est res satis sobria lascivire devorato orbe terrarum. Dixit ingentia et tantae confusionis imaginem cepit, cum dixit:

‚exspatiata ruunt per apertos flumina campos [3])
pressaeque labant sub gurgite turres' [4]).

Magnifice haec, si non curaverit, quid oves et lupi faciant". . . . .

Observandum est, idem fere hic reprehendi vitium, quod Seneca pater vituperavit, cum dixit: „Ovidius nescit quod bene cessit relinquere".

Quoniam autem Ovidius iam tunc cum studeret „bonus declamator" fuit et postea quoque in carminibus facultatem suam declamatoriam amavit, non mirum esset, si et apud rhetores diu post mortem retinuisset favorem, quo vivus usus esset. Hoc vero non prorsus ita fuisse apparet, si inquirimus quid vir hac in re in primis spectandus de eo iudicaverit.

Nam M. Fabius Quintilianus, Instit. orat. X, 1, quo lectionem poetarum, oratoribus utilem, commendat, quamvis non per omnia poetae oratori sunt sequendi nec libertate verborum nec licentia figurarum, in serie poetarum aliorumque auctorum, qui oratori legendi sunt, Ovidium

---

1) Met. I, 292.
2) ib. vs. 304.
3) ib. vs. 285.
4) ib. vs. 290.

numerat quidem, inter poetas tamen laudandos non Ovidius sed Vergilius primum locum obtinet. Hic poetarum romanorum „auspicatissimum" inquit Quintilianus „dederit exordium"; hic post Homerum est secundus, „propior tamen primo quam tertio." „Ceteri omnes longe sequentur."

§ 88. „Lascivus quidem in heroicis quoque Ovidius et nimium amator ingenii sui, laudandus tamen in partibus."

§ 93. „Elegia quoque Graecos provocamus, cuius mihi tersus atque elegans maxime videtur auctor Tibullus. Sunt qui Propertium malint, Ovidius utroque lascivior, sicut durior Gallus".

§ 98. „Iam" (de tragoediae scriptoribus nunc agit) „Varii Thyestes cuilibet graecarum comparari potest. Ovidii Medea videtur mihi ostendere, quantum ille vir praestare potuerit, si ingenio suo imperare quam indulgere maluisset."

Eandem lasciviam praeterea reprehendit Quintilianus in transitionibus, Instit. orat. IV, 1, 76 sq.:

> „Quotiens autem prooemio fuerimus usi, tum sive in expositionem transibimus sive protinus ad probationem, id debebit in principio postremum esse, cui commodissime iungi initium sequentium poterit. Illa vero frigida et puerilis est in scholis adfectatio, ut ipse transitus efficiat aliquam utique sententiam et huius velut praestigiae plausum petat, ut Ovidius lascivire in Metamorphosesin solet, quam tamen excusare necessitas potest, res diversissimas in speciem unius corporis colligentem."

Quintilianus igitur Ovidium poetam laudandum, ingeniosum censet, qui multum praestare potuisset, sed eum reprehendit, quod sit lascivus, quod ingenium suum nimis amet, eique igitur indulgeat, non imperet, quod in transitionibus pueriles captet adfectationes.

Notandum est, hoc iudicium non multum discrepare ab iis, quae ex Seneca rhetore eiusque filio cognovimus. Prae-

terea vero non neglegendum est, Ovidium saepius memorari a Quintiliano cum vituperatione quadam, vel ut exemplum vitandum ponatur. Et hac ipsa in re a Seneca differt Quintilianus.

IX 3,69sq.: „Voces aut eaedem diversa in significatione ponuntur aut productione tantum vel correptione mutatae: quod etiam in iocis frigidum equidem tradi inter praecepta miror, eoque exempla vitandi potius quam imitandi gratia pono.... et apud Ovidium ludentem:

‚cur ego non dicam, Furia, te furiam'?

VIII,3,44-47: „Vitium . . . . κακέμφατον: sive mala consuetudine in obscoenum intellectum sermo detortus est sive iunctura deformiter sonat . . . . nec scripto modo id accidit, sed etiam sensu plerique obscene intellegere, nisi caveris, cupiunt (ut apud Ovidium ‚quaeque latent meliora putat') et ex verbis quae longissime ab obscoenitate absunt, occasionem turpitudinis rapere."

IX,4,65: „versus clauditur . . . ‚armamentis'[1]) . . . Quare hoc quoque vitandum est, ne plurium syllaborum verbis utamur in fine."

Non semper tamen reprehendit Quintilianus. Nam non solum sine vituperatione, sed etiam sine laudatione ex Metamorphoseon libris ab eo afferuntur: IX, 3, 48 exemplum pleonasmi; IX, 2, 64 exemplum emphasis; V, 10, 41 eius rei, quod non ubique idem aut licet aut decorum est; I, 5, 43: „‚consedere duces' non est dualis."

Sic etiam, ubi versus citantur, non aliunde noti: VIII, 5, 6: „apud Ovidium Medea dicit:

‚servare potui: perdere an possim rogas'?

XII,10,75: „‚at si contuleris Tyriae eam lacernae,
conspectu melioris obruatur',

ut Ovidius ait".

Et VI, 3, 96: „Adiuvant urbanitatem et versus commode positi, seu toti ut sunt (quod adeo facile est ut Ovidius

---

1) Met. XI, 456.

ex tetrastichon Macri carmine librum in malos poetas composuerit).... seu verbis ex parte mutatis"....

Seneca igitur et Quintilianus de Ovidio quid censerent satis dilucidis verbis enuntiaverunt. Ceterum alii quoque sunt, qui etsi non omnes verbis ipsis iudicium suum prodiderint, alio tamen modo Ovidium a se magni aestimatum esse significaverint.

Ut enim omittantur C. Plinius Secundus, qui Nat. Hist. XXX, 33; XXX, 11; XXXII, 152 ex Ovidii operibus testimonia petit, et Hyginus, mythographus, de cuius tamen et persona et tempore adhuc sub iudice lis est — in libro vero fabularum, qui sub eius nomine fertur, fab. 13 (ed. Gaasbek) ex Metam. libro II nomina solis equorum laudantur — et Velleius et Tacitus et Statius et Martialis manufesto aperuerunt, quanti Ovidium fecerint.

M. Velleius Paterculus, Histor. rom. II, 36, 3: „Paene stulta est inhaerentium oculis ingeniorum enumeratio, inter quae proximi nostri aevi eminent principes carminum Vergilius.... Tibullusque et Naso, perfectissimi in forma operis sui...."

Cornelius Tacitus, Dialogus de oratoribus, c.12: „Plures hodie reperies, qui Ciceronis gloriam quam qui Vergilii detrectent; nec ullus Asinii aut Messalae liber tam illustris est, quam Medea Ovidii aut Varii Thyestes."

P. Papinius Statius, qui in carminibus Vergilium sibi exemplum posuit et in epilogo Thebaïdis suae dixit

‚nec tu' (Thebaï sc.) ‚divinam Aeneida tempta
sed longe sequere et vestigia semper adora';

in Silvis tamen bis Ovidium inter poetas illustres memoravit I, 2, 255 et II, 7, 78.

M. Valerius Martialis, Hispaniensis, in elegiacis secutus Ovidium, quem varietate et elegantia sermonis fere aequavit, multa argumenta, multas locutiones, totos versus

et versuum partes eius mutuavit et imitatus est. [1]) Ubicumque autem apud eum nomen Ovidii occurrit, semper eiusmodi verbis de eo mentio est facta, ut illum a se inter celeberrimos poetas duci significet I, 61, 6; V, 10, 10; III, 38, 10; II, 41, 2; XIV, 192; XXII, 44, 6; VIII, 73, 9.

§ 3. *Posteriorum testimonia et iudicia.*

Etiam scriptorum latinorum, qui saeculis posterioribus vivebant, satis multi ostendunt Ovidii carmina etiam tunc manu trita esse tam viris doctis quam poetica facultate instructis. Quod Aelius Spartianus, scriptorum historiae Augustae unus, c. 5 de Aelio Vero dixit: „atque idem Ovidii... libros (amores) in lecto semper fertur habuisse".... huc nihilo magis pertinet, quam quod Pompeiis inventi sunt versiculi Ovidiani ex Amoribus et Arte parietibus inscripti. Nam haec nihil aliud testantur quam id, quod unicuique liquebit, amatoria Ovidii carmina a viris delicatis libidinosisque etiam tunc sicut antea sedulo lecta esse iisque in deliciis fuisse.

Grammatici vero horum temporum multo plus operae navarunt Vergilio quam Ovidio. Nec mirum. Vergilii enim carmina in scholis puerorum et adolescentium legebantur, iam inde ab auctoris ipsius aetate. Adhuc vivo Marone, anno scilicet 27 a. Chr. n., [2]) Cornelius Gallus, poeta Foroiuliensis, amicus et condiscipulus Vergilii, [3]) ab Augusto ob ingratum et malevolum animum domo et provinciis suis prohibitus accusatorum denuntiationibus et senatus consultis ad necem compulsus est et propria se manu interfecit. [4]) Post damnationem autem mortemque Galli Q. Caecilius Epirota, Tusculi natus, libertus Attici, qui filiam patroni nuptam M. Agrippae docuerat, sed suspectus

---

1) Cf. A. Zingerle, Martials Ovidstudiën et editionem L. Friedländer I pg 25.
2) Hieronym. Chron., ab Abr. 1990.
3) Probus ad Verg. Buc. 6, 1. Servius ad Verg. Buc. X.
4) Sueton. Aug. 66. et Hieron. l. l.

in ea et ob hoc remotus ad Cornelium Gallum se contulerat vixeratque una familiarissime — quod ipsi Gallo ab Augusto inter gravissima crimina obiectum erat — scholam aperuit, sed ita ut paucis et tantum adolescentibus praeciperet, praetextato nemini. „Is primus dicitur. . . . . Vergilium et alios poetas novos praelegere coepisse." [1])

Vergilius igitur iam vivus in scholas receptus est. Nec mortuo ipso opera eius ex iis recesserunt, sed etiam postea per multa saecula in institutione et puerorum et adolescentium primarium locum obtinuerunt. Pueri ex eo litteras discebant [2]), grammaticam et metricam exercebant; rhetorum studiis et declamationibus ille argumenta et exempla praebebat. Quo factum est ut grammatici et rhetores studia sua in primis in eum converterent. Inde commentarii et scholia in eius opera, inde disputationes de argumentis ex eo petitis [3]).

Quae omnia Ovidio fere omnino defuerunt. At, quamquam grammatici, qui nimirum etiam artes suas praecipue in usum et scholarum et doctorum conscribebant, eam ob rem longe plurima exempla ex Vergilio petebant, haud paucos tamen versus testimonii gratia etiam ex Ovidio sumpserunt.

Longe plurima dederunt Servius Honoratus, qui in commentario in Vergilium amplius 40 versus Ovidianos attulit, et Priscianus, qui in Institutionum grammaticarum libris ex Metam. solis 50 fere versus citavit. Praeterea versus Ovidiani inveniuntur in Commentario in Vergilii Bucolica et Georgica, qui M. Valerio Probo inscribitur; apud Helenium Acronem et Pomponium Porphyrionem, qui in Horatium commentarium scripserunt; in epitome quam Paulus Diaconus confecit ex Sex. Pompeii Festi excerptis ex M. Valerii Flacci de verborum significatu libris; multosque apud alios.

---

1) Sueton. gramm. 16.
2) Quint. I, 8, 5.
3) Conferendum etiam quod A. Riese dixit Ovid. Vol. I praef. XI et XII: »A grammaticorum quidem scholis alienus erat, id quod argumenta ab eo tractata simul cum ea re, quod doctrina exquisitiore caret, effecisse videntur."

At, si quis longiorem seriem nominum enumerari cupiat, habeto:
Flavius Sosipater Charisius, in arte gramm. et in ex a. gr. excerptis; Diomedes, Atilius Fortunatianus, Marius Plotius Secundus in arte gramm.; Servius Honoratus, in comment. in artem Aelii Donati; Sergius in explanat. in artem Aelii Donati; Probus, in Catholicis; Cledonius, in arte gramm.; Eutyches, in arte de verbo; auctor libri de ultimis syllabis; auctor libri de dubiis nominibus; Hieronymus, diversis locis; Isidorus, de rhetorica; Beda, de orthographia; fragmenta Sangallensia; fragmenta Bobiensia; scholiasta in A. Persii Flacci satiras; scholiasta in D. Iunii Iuvenalis satiras; et fortasse plures.

Adde his grammaticis etiam C. Suetonium Tranquillum, qui de poetis 30 (42*, 43*) et 33a, de grammaticis et rhetoribus 20 (ed. Reiff) nonnulla de Ovidio tradidit; et (Sext.) Aurelium Victorem, qui de vita et moribus imper. roman. I, 2 eius relegationem memorat, praeterea Lactantium Placidum, qui narrationes fabularum Ovidii prosa oratione confecit; et eum, qui Gesta Romanorum scripsit (ed. W. Dick, pg. 34 et 68) — et satis apparebit grammaticos ceterosque viros doctos Ovidium non plane neglexisse, sed eius carminibus per omnia saecula studia sua tribuisse.

Praeter grammaticos ceterosque viros doctos alii quoque scriptores sunt, qui eius carmina sedulo legerunt et ex iis narrationes, argumenta, locutiones sumpserunt versusque imitati sunt. Exempla gratia paucos diversis ex saeculis nomine tantum hic afferre liceat.

Is qui disticha, quae feruntur Catonis de moribus ad filium scripsit, in praef. libri II Ovidium nominat.

D. Magnus Ausonius, rhetor Burdigalensis, saepius in carminibus Ovidium imitatus est; et hunc probe ei notum fuisse testatur Epigr. 69, 8:

„An vos Nasonis carmina non legitis"?

C. Sollius Apollinaris Sidonius, Lugdunensis,

multis carminum locis ostendit Ovidii imitationem, eumque nominat Carm. 23, 159 et epist. II, 10, 6.

Magnus Felix Ennodius, Paulinus Petricordiensis Orientius, aliique eorum temporum scriptores Ovidii opera imitati esse feruntur.

Unus vero dignus est, cuius verba hic inserantur, quia iudicium suum de Ovidio prodidit. L. Caecilius Firmianus Lactantius, Arnobii discipulus, qui Nicomediae rhetoricam docuit ac penuria discipulorum ad scribendum se contulit. Is in antiquis auctoribus optime versatus et elegantia et perspicuitate sermonis ita excellens ut aliquando ‚Cicero christianus' appellatus sit, Ovidium quoque optime norat eumque ingeniosum poetam, poetam non insuavem vocat.

Divin. instit. II, 1, 15: „Parens enim noster ille unus et solus cum fingeret hominem i. e. animal intellegens et rationis capax, eum vero ex humo sublevatum ad contemplationem sui artificis erexit. Quod optime ingeniosus poeta signavit:

‚pronaque cum spectent animalia cetera terram,
os homini sublime dedit caelumque videre
iussit et erectos ad sidera tollere vultus' [1]).

De ira dei 20, 2:
„Virtus enim per mala et probatur et constat, vitia per voluptatem. Nec tamen ille qui peccat sperare debet perpetuam impunitatem, quia nulla est perpetua felicitas,

‚sed scilicet ultima semper
exspectanda dies homini dicique beatus
ante obitum nemo supremaque funera debet' [2]),

ut ait poeta non insuavis."

Divin. instit. I, 5, 13:
„Ovidius quoque in principio praeclari operis sine ulla nominis dissimulatione a deo, quem ‚fabricatorem mundi',

---

1) Ovid. Met. I, 84 sqq.
2) Ovid. Met. III, 135 sqq.

quem ‚rerum opificem'[1]) vocat, mundum fatetur instructum." Divin. instit. II, 5, 24 tradit fragmentum aliunde ignotum ex Phaenomenis:

„Quanto igitur Naso prudentius quam illi qui sapientiae studere se putant, qui sensit a deo lumina illa ut horrorem tenebrarum depellerent instituta! Is eum librum, quo Phaenomena breviter comprehendit his tribus versibus terminavit:

‚Tot numero talique deus simulacra figura
imposuit coelo perque atras sparsa tenebras
clara pruinosae iussit dare lumina nocti'."

Permultos praeterea versus ex Metamorphoseon et Fastorum libris affert, complures fabulas et narrationes ex iis petit ad ludificandos deridendosque deos paganorum. Denique in carmine quod composuit de ave Phoenice multi versus sunt similes Ovidianis.

§ 4. *Recentioris temporis iudicia quaedam.*

Per totam igitur antiquitatem Ovidius nomen quod iam vivus adeptus erat poetae ingeniosi illustrisque retinere potuit.

Mediis quoque qui vocantur aevis favore atque gratia virorum eruditorum longe quidem superatus est a Vergilio; sed non plane est neglectus.

Paulatim tamen revixit eius gloria. Carmina eius multum legebantur, etiam in scholis coenobiorum; Heroïdes et Metamorphoses a Maximo Planude (saec. XIII) in linguam Graecam translatae sunt; alius, Albrecht von Halberstadt, Metamorphoses Germanice convertit. Commentarii quoque in eum confecti sunt; multaque scripta tunc sub eius nomine edita. Sed, ut ait Gervinus, Gesch. d. d. Litt. I, 467, „es ist im höchsten Grade charakteristisch, dass dieser lüsterne Dichter der Liebe, als er im 12en Jahrh. anfing, den gelehrten und ritterlichen Kreisen bekannter zu werden, zuerst bei den freigeistigsten antipapistischen Theologen, bei den

1) Met. I, 57 et 59.

lateinischen Dichtern der Tiersage und den geistlichen Vaganten, dann bei den Minnesängern in Südfrankreich und selbst auch in Deutschland, sowie bei den lasciven Meistern der neumodischen brittischen Romane am verstandensten und gelesensten war.... u.s.w." [1])

Inde ab his temporisbus Ovidii nomen atque gloria semper crevit, usque eo, ut si viris illis, qui tres quattuorve saeculis post vixerunt et in huius libelli initio sunt nominati, Scaligeris, Vossio, Heinsiis crederes, hunc poetam omnium clarissimum tamque perfectum putares, ut nullo fere vitio laboret.

Recentiorum temporum viri docti poescosque peritissimi iudices, licet non usque ad eundem quem viri illi gradum admirationis processerint, nomen laudemque poetae ingeniosi, facundissimi, suavissimi venustissimique atque perfectissimi in forma ei non denegaverunt. Pauca e multis iudicia exempli causa hic addi decet.

Et propter tempus et propterea quod aequissimum fortasse et iustissimum est eius iudicium primus ponatur Aug. Boeckh. Encycl. u. Method. der philol. Wissensch. pg. 688.

„Der formgewandteste aller Dichter des Augusteischen Zeitalters ist Ovid; zugleich zeichnet er sich vor allen andern durch einen überschwänglichen Witz aus, Alles was er sagt ist geistreich, zart und anmuthig.
Allein er spielt mit seiner Empfindsamkeit; es fehlt ihm an Würde der Gesinnung und an Lebensernst. Daher sind sind seine Gedichte ohne Kraft und Nerv; er krankt an Ueberfülle; verliert sich in Bildern und Beschreibungen und sucht den Mangel an plastischer Zeichnung durch glänzende Farbengebung zu ersetzen.
Aber in der spielenden, tändelnden Poesie ist er Meister".

pg. 678: „In letzterem Stücke" (die Medea) „war gewiss die Leidenstraft in meisterhafter Weise dargestellt, aber ein wahrhaft tragisches Kunstwerk vermochte Ovid auf keinen Fall hervorzubringen."

Rectissime, opinor, Boeckh, dum de Ovidio poeta agit,

---

1) Cf. Schanz, Gesch. d. r. Litt. II, 166 sq.

etiam in eo hominem eiusque mores atque indolem non neglexit. Nam nemo, quamcumque colit artem, ad summum in ea fastigium adscendere potest, nisi una est homo, qui animi atque ingenii indole vere eximius sit. Hanc ipsam ob causam Ovidius cum de vere egregio poeta instituitur quaestio, semper Vergilio postpositus est semperque inferior habebitur. Quod ad formam tamen operis pertinet, merito omnes fere usque ad nostrum tempus Ovidio palmam detulerunt.

Wilhelm Sigmund Teuffel, Gesch. d. röm. Litt[5]. 247: „(Indessen) Rhetor bleibt er auch in der Poesie, mit den Gedanken und Stoffen spielend, ohne Ernst, höhere Ziele und Charakter, leichtsinnig gegenüber den Anforderungen und Fragen des Lebens, aber geistreich, pikant und originell und in allem Formellen von unübertroffener Meisterschaft, unnachahmlicher Leichtigkeit, Gewandtheit und Anmuth."

Aem. Baehrens, Tibullische Blätter pg. 38: „Ueberall dieselbe geistreiche Auffassung und geniale Behandlung des Stoffes, derselbe leichte und melodische Fluss seiner Verse, dieselbe unübertroffene, originelle Meisterschaft in der Handhabung der dichterischen Sprache".

I. I. Hartman, de Ovidii metamorph. edendis, Mnemosyne 1890.
pg. 164: „Ovidius eam habet virtutem.... quod lectorum animos commovere, tenere, delinire potest."
pg. 165: „Ars Ovidiana.... simplicitate.... mentem ferit."
pg. 166: „Versuum pangendorum est artifex."

M. Schanz, Gesch. d. röm. Litt. II, pg. 165: „Ovid ist der genialste Erzähler der Römer."
pg. 154: „Die Poesie ist ihm zwar Schmuck des Lebens aber nicht jene göttliche Gabe, welche selbst über den Leid und Weh verklärend schwebt."

O. Ribbeck, Gesch. d. röm. Dichtung II. pg, 348 sq:

„Die Uebung der Rhetorschule, welche darauf ausging den aufgegebenen Stoff ganz zu erschöpfen,alle Seiten zur Geltung zu bringen und jene verführerische Gaben". (Leichtigkeit des Schaffens, Glätte der Form) „des Dichters überwucherten bisweilen den künstlerischen Geschmack: es wurde ihm schwer einen Zug oder Einfall zu unterdrücken"...u.s.w.

Hic igitur, quamquam Scaliger monuit hoc Ovidio tam falso quam immerito obiectum esse, neglecto tamen eo redit ad Senecae censuram: ‚nescit quod bene cessit relinquere'; illudque, quod Nasoni proprium fuisse cum Seneca et Boeckio consentit Ribbeck, ex declamatoriis exercitationibus ortum esse rectissime fortasse contendit.

Sed in versuum pangendorum artificio summam laudem ei tribuit, pg. 340:

„Seine Verse .... perlen und gleiten wie sanft rieselnde Wellen eines durchsichtigen Baches dahin."

Quae laus ad summum fastigium evehitur a Luciano Müller, d. r. m.[2] pg. 96:

„Quid perfectius disticho Ovidiano?"

pg. 522: „(Hic)... principatum haud dubie tenet artis Latinae.... huius, quot sunt versus, totidem sunt artificia et.... cum sentias artem inesse summam laborem persentiscis nullum."

CAPUT IV.

DE METAMORPHOSEON LIBRIS.

Et aequales igitur Ovidii et eius aetati suppares et posteri scriptores latini et recentiores iudices fere omnes consentiunt eum fuisse poetam illustrem ingeniosumque, artis poeticae facultate summa instructum. Cum autem ingenium artemque suam magno studio excolere non neglexerit scriptisque suis multum industriae impenderit, omnia quae litteris mandavit, in primis quae ante relegationem scripta sunt, eam artis atque ingenii facultatem ostendere necesse est. Quare viri illi qui omnia Ovidii opera perfectissima esse forma sibi persuasum habebant, pro genuinis agnoscere non potuerunt, quaecumque non omnibus numeris absoluta essent.

Sed quaerendum est num merito Metamorphoses illa ratione atque norma aestimare liceat, num re vera etiam hoc poema tanta arte et industria sit conceptum, elaboratum, perpolitum. Primum igitur videndum, quae et ipse auctor de his libris monuerit et alii tradiderint.

§ 1. *Iam antequam Metam. confecit se huic operi indicavit operam navare.*

Amorum libros Ovidius clausit epilogo, qui est elegia libri III, 15. Ibi dicit:

vs. 1 „Quaere novum vatem, tenerorum mater Amorum
raditur hic elegis ultima meta meis;
15 Culte puer, puerique parens Amathusia culti
aurea de campo vellite signa meo.

Corniger increpuit thyrso graviore Lyaeus:
pulsanda est magnis area maior equis.
Imbelles elegi, genialis Musa, valete,
post mea mansurum fata superstes opus!"

His verbis poeta lectorem monuit, se nunc elegiis amatoriis finem impositurum et iam abhinc maius opus aggredi. Plerumque autem Ovidium hic Metamorphoseon libros spectare accipitur. Propter metrum vero hoc necessarium non est. Nam non dicit, se omnino elegias relicturum esse, sed „imbelles elegos," elegias igitur amatorias.

At cum hoc epilogo Amorum nec iniuria exordium Fastorum alterum, quod est in libro II, comparari potest. Ibi legitur. vs. 3 sqq.:

„Nunc primum velis, elegi, maioribus itis:
exiguum, memini, nuper eratis opus.
Ipse ego vos habui faciles in amore ministros,
cum lusi numeris prima iuventa suis."

Nonne manufestum est poetam hoc exordio excipere ea quae dixit in epilogo Amorum? Nonne verisimile est, ei Am. III, 15 scribenti Fastorum libros non minus quam Metamorphoses ob oculos versatos esse? Etiam Trist. II, 547 sqq., postquam dixit (548): „saepe dedi nostrae grandia vela rati" continuo ita pergit:

„Sex ego Fastorum scripsi totidemque libellos." sqq.

Ex his tamen effici non licet, poetam tunc, cum Amorum epilogum scripsit, Metamorphoses nondum aggressum esse. Nam etiam elegia Amorum II, 1 nos docet, eum aegre carmina amatoria relicturum; heroica iam tentaverat,[1] sed nihil profuerant: clausit amica fores. Quare elegos leves resumpsit.

vs. 11 „Ausus eram, memini, caelestia dicere bella
centimanumque Gygen (et satis oris erat),
cum male se Tellus ulta est, ingestaque Olympo

1) cf. 35 sq.: »heroum clara valete
nomina; non apta est gratia vestra mihi.«

ardua devexum Pelion Ossa tulit.
In manibus nimbos et cum Iove fulmen habebam,
quod bene pro coelo mitteret ille suo."
29sqq.: „Quid mihi profuerit velox cantatus Achilles?
Quid pro me Atrides alter et alter agent,
quique tot errando quot bello perdidit annos,
raptus et Haemoniis flebilis Hector equis"?

Hanc autem fabulam et haec argumenta re vera tractavit poeta in Metamorphoseon libris. Quare verisimile est, eum hic iam partes illius operis indicare eumque iam tunc ea carmina conscribere coepisse.

Ceterum eum iam eodem tempore cum cecinit populoque legit carmina amatoria illa, quae postea tribus libellis comprehendit et cum epigrammate et epilogo edidit, Metamorphoses aggressum esse multasque iam partes composuisse, procul dubio efficitur ex Am. III, 12. Ibi queritur Ovidius Corinnam carminibus suis innotuisse, ita ut vereatur „cum multis .... ne sit habenda sibi" (vs. 6.) Et cum ipse eius formae praeconia fecerit, hac ipsa in re sibi, poetae, fidem haberi dolet, quamvis alioquin „non tamen ut testes mos sit audire poetas" (19.) Exempli autem causa satis longam seriem fabularum enumerat, quas ipse scripsit quidem, nec tamen „obligavit" „historica fide."

Series ea fabularum est in vss. 21—40:

„Per nos Scylla patri canos furata capillos
pube premit rabidos inguinibusque canes:
nos pedibus pinnas dedimus: nos crinibus angues:
victor Abantiades alite fertur equo:
idem per spatium Tityon porreximus ingens
et tria vipereo fecimus ora cani:
fecimus Enceladon iaculantem mille lacertis,
ambiguae captos virginis ore viros:
Aeolios Ithacis inclusimus utribus euros:
proditor in medio Tantalus amne sitit:
de Niobe silicem, de virgine fecimus ursam:
concinit Odrysium Cecropis ales Ityn:

Iuppiter aut in aves aut se transformat in aurum
aut secat imposita virgine taurus aquas:
Protea quid referam, Thebanaque semina dentes;
qui vomerent flammas ore, fuisse boves,
flere genis electra tuas, auriga, sorores,
quaeque rates fuerint, nunc maris esse deas,
aversumque diem mensis furialibus Atrei,
duraque percussam saxa secuta lyram?"

Haec omnia, quae demonstrant, quanta in Ovidio ars fuerit magnum nominum numerum atque res diversissimas uno tenore versibus includendi leviter et suaviter fluentibus, in Metam. libris tractantur. Ex omnibus fere libris petita sunt. Qua ex re efficitur multas fabulas Metamorphoseon iam tunc cum scriptum est carmen Am. III, 12, compositas fuisse, quamvis procul abesset, ut totum opus omnibus numeris esset absolutum. Immo vero cum repentina illa relegatione poeta affligeretur, „adhuc crescens et rude carmen erat [1]).

Iam multis igitur annis ante exilium poeta operam navare coeperat fabulis enarrandis, conserendis, inter se nectendis, apta transitione coniungendis, donec iam ante exilium longam seriem mutationum cum aliis intertextis fabulis inde a creatione mundi usque ad sua ipsius tempora perduxisset.

§ 2. *Metamorphoseon libris summam gloriam sibi parare studuit.*

Per satis longum tempus, quod componendis illis libris tribuit, se continere non potuit, quominus hic illic in aliis carminibus enuntiaret quas iam fabulas ad eos pertinentes confecisset. Itaque iam diu antequam perfectum erat opus multae certe partes amicis populoque notae erant. Praeterea haec omnia ostendunt, quantam gloriam se ex illlo opere sibi paraturum esse poeta exspectaverit.

---

1) Trist. I, 7, 22.

Quid mirum, si innumerabili fere numero fabularum feliciter ad terminum sibi propositum perducto, quantam gloriam speraret se adepturum esse hoc epilogo professus est:

„Iamque opus exegi, quod nec Iovis ira nec ignis
nec poterit ferrum nec edax abolere vetustas.
Cum volet, illa dies, quae nil nisi corporis huius
ius habet, incerti spatium mihi finiat aevi:
parte tamen meliore mei super alta perennis
astra ferar, nomenque erit indelebile nostrum.
Quaque patet domitis Romana potentia terris,
ore legar populi, perque omnia saecula fama,
si quid habent veri vatum praesagia, vivam".

Sunt qui propter verba superba „nec Iovis ira hoc opus abolere poterit" hunc epilogum postea in exilio additum esse putaverint et sub nomine Iovis intelligendum esse Caesarem Augustum. At si, ut plerumque fit, „Iovis ira", conlato versu 811 ubi modo dixerat: „fulminis ira" pro fulmine accipitur, non necesse est, hunc epilogum magniloquum Tomos relegare. Praeterea cum discedens ex urbe inter alia scripta etiam exemplar suum Metam. cremaret, non verisimile est, eum Tomis vel in itinere hunc epilogum addidisse. At si addidisset, id saltem dixisset in Tristium aliquo carmine, ubi saepius de Metam. locutus est.

§ 3. *Metam. non omni ex parte absolvit.*

Attamen cavendum est, ne ex verbis istis: ‚iamque opus exegi' intellegas totum carmen a poeta omni ex parte absolutum esse. Immo vero tantum aberat ut hoc ita esset, ut poeta, brevi postquam relegatus est, iter adhuc faciens Tomos, epistulam scriberet, septimam sc. Tristium l. I, qua amicos de fatis illius operis accuratius doceret. Quo una demonstravit, quantopere Metam. libri sibi cordi essent. Leguntur autem Tr. I, 7, 11 sqq. haec:

11 „Grata tua est pietas: sed carmina maior imago
sunt mea, quae mando qualiacunque legas,
carmina mutatas hominum dicentia formas,

infelix domini quod fuga rupit opus.
Haec ego discedens, sicut bene multa meorum,
ipse mea posui moestus in igne manu.
Utque cremasse suum fertur sub stipite natum
Thestias et melior matre fuisse soror,
sic ego non meritos mecum peritura libellos
imposui rapidis viscera nostra rogis:
vel quod eram Musas, ut crimina nostra, perosus,
vel quod adhuc crescens et rude carmen erat.
Quae quoniam non sunt penitus sublata, sed extant,
pluribus exemplis scripta fuisse reor.
Nunc precor, ut vivant et non ignava legentem
otia delectent admoneantque mei.
Nec tamen illa legi poterunt patienter ab ullo,
nesciet his summam si quis abesse manum.
Ablatum mediis opus est incudibus illud,
defuit et scriptis ultima lima meis.
Et veniam pro laude peto, laudatus abunde,
non fastiditus si tibi, lector, ero.
Hos quoque sex versus, in prima fronte libelli [1])
si praeponendos esse putabis, habe:
‚Orba parente suo quicumque volumina tangis,
his saltem vestra detur in urbe locus!
Quoque magis faveas: haec non sunt edita ab ipso,
sed quasi de domini funere rapta sui.
Quicquid in his igitur vitii rude carmen habebit,
emendaturus, si licuisset, eram'.

Luce clarius haec testantur poetam de postremo suo poemate, a quo tam magna speravisset, magnopere sollicitum fuisse, quod summam manum adhibere non potuisset. Quod serio ab eo dictum esse, ex eo opinor, apparet, quod iterum amicos Metamorphoseon admonuit, cum alias quas in itinere fecisset elegias in unum libellum collectas

1) Th. Birt, das Antike Buchwesen pg. 30, mavult legere: libellis.

Romam missurus esset, carmenque adderet quo totum tamquam introduceret,

I, 1, 117 sq.:

„sunt quoque mutatae, ter quinque volumina, formae,
nuper ab exsequiis carmina rapta meis."

Neque id satis erat. Nam, cum tandem Tomos pervenisset ibique epistulam composuisset, quam monobiblon Romam misit ad Augustum Caesarem, tertio de illis libris locutus est. Principem ut eius animum in se mitiorem redderet oravit, ut non mala solum quae composuit carmina legeret, sed etiam seria magis et meliora: Fastos, Medeam, Metamorphoses.

Trist. II, 555sqq.

‚Dictaque sunt nobis, quamvis manus ultima coepto
defuit, in facies corpora versa novas,
Atque utinam revoces animum paulisper ab ira
et vacuo iubeas hinc tibi pauca legi,
pauca, quibus prima surgens ab origine mundi
in tua deduxi tempora, Caesar, opus:
adspicies, quantum dederis mihi pectoris ipse,
quoque favore animi teque tuosque canam!'

Idem fere iam supra dixerat, vs. 63 sqq.:

‚Inspice maius opus, quod adhuc sine fine reliqui
in non credendos corpora versa modos:
invenies vestri praeconia nominis illic,
invenies animi pignora multa mei'.

Prima deinde hieme tandem Tomis peracta, cum ver venisset ubi

‚iam violas puerique legunt hilaresque puellae,
rustica quas nullo terra serente vehit,
prataque pubescunt variorum flore colorum
indocilique loquax gutture vernat avis',

et flebili primum ibi diem natalem carmine celebravisset, tertium Tristium libellum Romam misit. Iam nuntius ad eum pervenerat carmina sua in urbe ex bibliothecis pu-

blicis remota esse. Verum etiam amicum suum, „cultorem et antistitem doctorum virorum" carmina sua colligendo ne totus ab urbe abesset cavere cognovit. Grato animo igitur carmina sua illi commendat in primis Metamorphoses: Trist. III, 14, 19 sqq.

'Sunt quoque mutatae, ter quinque volumina, formae,
carmina de domini funere rapta sui.
Illud opus potuit, si non prius ipse perissem,
certius a summa nomen habere manu.
Nunc incorrectum populi pervenit in ora,
in populi quicquam si tamen ore mei est'.

Sed nunc quoque quietus erat eius animus; dempta ei erat sollicitudo de postrema sua „progenie," cum sciret amicum, poetarum studiosum, omnia sua carmina, Artibus exceptis, colligere et facere, ut „corpus suum in urbe" retineretur. Nam inde ab hoc tempore de Metamorphosesin mentio non fit. Fortasse ad has semel etiam respicit, ubi in epilogo Trist. l. IV, quo vitam suam narravit, vs. 63 sqq. dicit: „tunc quoque, cum fugerem, quaedam placitura cremavi, iratus studiis carminibusque meis." Nomen tamen Metamorphoseon posthac non occurrit.

§ 4. *Ovidio dicenti se Metamorphoses imperfectas reliquisse fides habenda est.*

Ex his quinque locis poetam sedulo operam dedisse apparet ut qui Metam. libros legerent bene perspicerent, opus illud non ex omni parte perfectum esse, sed „summam manum" „ultimam limam" ei deesse, idque „sine fine," „incorrectum" relictum esse. Quod cum tam saepe adseveraverit, iniquum, ne dicam malignum esset, eius dictis fidem negare.

Verumtamen hoc factum est. Fuerunt enim, qui dicerent hac in re Ovidium imitatum esse Vergilium, quem constat, summam Aeneidi manum impositurum in Graeciam secessisse, ubi triennio continuo emendaret poema, sed mox reversum Brundisii diem obisse et Aeneida imperfectam

reliquisse, eam tamen a L. Vario Rufo, amico eius, iussu Caesaris editam esse [1]).

„Egerat (Verg. sc.) cum Vario, priusquam Italia decederet, ut si quid sibi accidisset Aeneida combureret; sed is facturum se pernegarat. Igitur in extrema valetudine scrinia desideravit crematurus ipse: verum nemine offerente nihil quidem nominatim de ea cavit, ceterum eidem Vario ac simul (Plotio) Tuccae scripta sua sub ea condicione legavit, ne quid ederent quod non a se editum esset. Edidit autem auctore Augusto Varius, sed summatim emendata, ut qui versus etiam imperfectos sicut erant reliquerit....." (Ita Donatus auctore Suetonio, pg. 63 sqq.)

Ex eo autem, quod Vergilius dicebatur Aeneida imperfectum reliquisse et moriturus comburere voluisse, Ovidium aiunt exemplum sumpsisse cum imitando fabularetur, se discedentem ex urbe Metamorphoses in igne posuisse; at quoniam nihilo minus exstarent, finxisse eas iam antea pluribus exemplis scriptas fuisse. Ovidii igitur imitatio, ita aiunt, testatur narrationem illam, qua ratione Aeneis edita sit, non a grammaticis posteris fictam esse [2])

Ab iis, qui haec credunt, si non allatum est, certe afferri potuit hoc argumentum: Ovidium hic mutatis mutandis fecisse quod Gallione auctore in multis versibus Vergilii fecerat, non surripiendi causa sed palam mutuandi, hoc animo ut vellet agnosci.[3])

Mirifice ergo Ovidius Vergilio morienti fabulam surripuisset! Ita: Vergilii mors praeclarum opus eius interrupit: ille imperfectam Aeneida reliquit; Ovidii subita relegatio gloriosum eius poema rupit: hic incorrectas Metamorphoses reliquit.

Haec re vera palam mutuandi causa Ovidium finxisse credendum est? Itane vero eum talia iocando et ludendo

---

1) O. Ribbeck, Prolegomena in Verg. pg. 87.

2) Ita Th. Birt, das Antike Buchwesen, pg. 347. Etiam A. Riese II, praef. V, dicit Ovidium Metam. delere Vergiliano exemplo in animo habuisse videri, sed cum iam ab aliis (clam ipso poeta?) descriptae fuissent, consilium perficere non potuisse.

3) Seneca, Suas. 3, 7.

imitatum esse censent illi? Usque eo tandem cum vanitatis processisse?

Minime vero. Quicquid unquam ludit et iocatus est Ovidius, ad eius modi ludicra facienda eo tempore iam non ei animus erat.

Prorsus ad seria magis se converterat; ad tristiora quam ad hilariora vergebat animus; a ludibrio procul erat, postquam tam graviter ira principis profligatus est. Immo vero si reputamus Ovidium ex hoc ipso poemate summam gloriam sibi speravisse, et iam in eo fuisse ut eam assequeretur, sed tunc maxime a principe, propter carmina praecipue irato, gravissima relegationis poena affectum esse, indoli naturaeque eius consentaneum videtur, eum tunc summa desperatione perculsum opus suum carissimum in ignem iniecisse. Etiam sibi ipsi manum inferre in animo habuit, nisi amicus eum retinuisset.[1]) Sed mox, cum ira atque furor iam sedata essent, opus suum non penitus esse sublatum valde gaudebat. Hoc enim poema qualecumque est velut imaginem sui agnoscit; amicis commendat, eosque rogat ut legant;[2]) precatur ut vivat, ut lectores delectet et auctoris admoneat (vs. 25 sq.); Augustum orat, ut sibi legi iubeat (II, 557 sqq.) Dolet tantum, se non melius id perpolire potuisse.

Atqui, ita quaeritur, quomodo exstare poterant, postquam poeta „viscera sua" in igne posuit. Ipse respondet, „pluribus exemplis scripta fuisse reor". Ita cogitat; non probe igitur sciebat. At quomodo id fieri potuit, ut plura exemplaria scriberentur clam ipso poeta? Si autographon suum cuipiam amicorum tradidisset ut describeret, haud sane id postea ignorare potuit.[3]) Verum non dicit poema ab aliis, ab amicis, descriptum fuisse, sed „pluribus exemplis scriptum fuisse.".

Nonne id fieri potuit clam ipso poeta? Sane, facile admodum fieri potuit. Et quidem non ab ipso neque ab amico; sed a librario. Auctor enim iam in eo erat, ut brevi libros illos

---

1) ex Ponto I, 9, 21 sq.
2) Trist I, 7, 11—14.
3) Ita Riese et fortasse Birt.

ederet. Iam opus suum ad finem perduxerat; complures iam antea partes haud dubie amicis legerat; hic illic in aliis libris iam editis hoc opus denuntiaverat; Am. II, 12 etiam magnum numerum fabularum ex eo indicaverat. Nunc tandem opere paene perfecto, ab initio ad finem perducto, epilogo iam instructo, id egit ut ultimam manum ei adhiberet. Quo melius faciliusque id faceret, autographon suum describendum tradidit aut suo aut, si ipse non habebat, bibliopolae librario.

Librarius autem non unum exemplum descripsit sed plura, clam Ovidio. Cur id fecerit librarius? Id scire non refert: verum fieri potuisse testatur Cicero, ubi Epist. ad Att. XIII, 21 et 22 cum Attico agit de edendis libris ‚de finibus'. Iam librariis quae scripserat describenda dederat sed nondum edi iusserat; nam mutanda quaedam erant. Attamen, Balbus iam quintum librum descripserat ab Attico; *ἀδιόρθωτα* igitur habebat Balbus (21,4.)

Etiam „Caerellia... describit a tuis: istos ipsos ‚de finibus' habet; ego autem tibi confirmo — possum falli, ut homo — a meis eam non habere: numquam enim ab oculis meis afuerunt; tantum porro aberat, ut binos scriberent: vix singulos confecerunt." Si igitur Cicero non usque librariis scribentibus adfuisset, suspicatus esset, eos clam ipso non singulos sed binos descripsisse. Nunc id fieri non potuit. (21,5)

Cum autem constet clam auctore plura exempla ab autographo describi potuisse, et id ipsum fere etiam Ciceroni accidisse, cur poetae hoc narranti irridentes fidem non habeamus?

§ 5. *Quale Ovidius opus suum reliquerit.*

Quale tandem reliquit Ovidius opus suum, cum fugeret? Nam brevi post, cum plura nihilo minus exempla exstare certior factus esset, fortasse iam antequam navem conscendit, gaudio affectus est quod non plane esset abolitum. Ex quo apparet opus iam prope absolutum fuisse. Ultima lima deerat. „Adhuc crescens et rude carmen erat". Restabat igitur ut accuratius perpoliret, emendaret quae vitiosa essent, quae non bene cessissent in meliora mutaret, hic illic

aliquid adderet et amplificaret, contraheret et demeret quae nimia aut supervacanea essent.

Ceterum quod ad universum attinet aut ad singulas partes, non tam procul aberat a fine, ut auctorem poeniteret aut puderet opus suum populi pervenisse in ora. Id tantum dolebat quod manum extremam adhibere non potuisset. Incorrectum erat; sed plurimae partes non male cesserant. Nam Ovidius non erat talis, qualis Vergilius, quippe qui „prosa" primo „oratione formatam digestamque in XII libros particulatim componere institueret prout liberet quidque et nihil in ordinem arripiens", qui „ne quid impetum moraretur quaedam imperfecta transmitteret, alia levissimis verbis veluti fulciret[1])... qui, ut amici familiaresque (Gellio, XVII, 10) narraverunt, „pareret versus more atque ritu ursino, ut informes rudesque primo ingenii impetu iactatos limando paulatim tractandoque ad artis speciem expolire adsidue operam daret"[2]).

Ad postremum ergo statui licet, Metamorphoses ab auctore ipso non editas esse. Si editae sunt, amicus curam eius rei suscepisse necesse est. Fieri potest ut ille ‚cultor et antistes doctorum virorum' qui carmina eius collegit et cavit, ne amicus totus abesset, ad quem scripsit Trist. III epilogum, operam impenderet ut Metamorphoses vulgarentur. Sed verisimillimum vel potius certum est id per bibliopolam factum non esse, cum principis iussu publicis certe ex bibliothecis omnia Nasonis opera removerentur.

§ 6. *Quid alii de Metam. libris iudicaverint.*

Haec fere sunt, quae auctor ipse de Metam. tradidit. Praeter ea quae iam supra cognovimus non multa de hoc opere aequales et posteri memoriae prodiderunt. Sed Metamorphoses ab auctore imperfectas relictas esse etiam Suetonium credidisse apparet ex eo quod de poetis XXXIIIa in Vita M. Annaei Lucani scribit: „in isdem dici quod in

1) Donatus, pg. 59, 16R.
2) Ribbeck, Prol. pg. 57.

Ovidii libris praescribitur potest: ‚emendaturus si licuisset erat'."

Quid alii de his libris iudicaverint, hoc loco omitti potest; nam quae supra de Ovidiana poesi universa ex compluribus saeculis allata sunt, plerumque praecipue ad Metam. spectant. Et quod Metam. libris ultima lima deerat, nonne fieri potest, ut id in causa fuerit, cur Seneca, qui alioquin Ovidium admiratus est, nonnulla in eo vituperaret et maxime Quintilianus plerumque eum reprehenderet potius quam laudaret? Praecipue cum ea quae ab utroque vituperentur omnia vel prope omnia ex Metam. sumpta sint.

Recentiorum uno tantum iudicio contentum esse liceat, atque eo, quod M. Schanz. Gesch. d. r. L. II, pg. 128 dedit: „Ovids Metamorphosen gaben der römischen Litteratur das schönste Werk der erzählenden Poesie."

CAPUT V.

OVIDIUM OPUS SUUM IMPERFECTUM RELIQUISSE IN ARTE CRITICA ADHIBENDA SPECTANDUM EST.

§ 1. *Ex eo quod Metam. libris ultima lima deest, nonnulla quae vitiosa videntur explicanda sunt.*

Si autem, ut vidimus, Metamorphoses opus erat, quo Ovidius gloriae, ceteris carminibus iam sibi paratae, tamquam fastigium impositurum se speravit, omnes virtutes nimirum artis suae et ingenii ei impendit. Summa igitur laus ei tribuitur propter facile eloquium, propter ingeniosam inventionem, propter varietatem et amoenitatem sermonis, propter artem qua tot fabularum seriem in perpetuum carmen coniunxit et inter se connexuit, propter venustatem versuum, qui semper fere puri et limpidi fluunt.

At contra in isdem libris etiam inveniuntur quae fuerunt vitia eius virtutum. Declamatorium fucum, quem poesi admiscuit, luxuriam et lasciviam sermonis, nimiam interdum loquacitatem, qua saepe nescit desinere et quod bene cessit relinquere, nimium amorem sui, quo sententias bene positas alio loco iteravit aut variavit, abundantiam male temperatam, qua saepius eandem rem variis verbis et sententiis enuntiavit, et inventionem male moderatam, qua interdum egregio artificio naevos argutiarum, nugarum, ineptiarum adspersit: haec omnia in iis reprehendunt iudices priorum et recentiorum temporum.

Verum multo pauciora haud dubie in iis vitiosa essent, si poetae ipsi licuisset ultimam limam adhibere. Multa

tum ipse emendasset. Ovidius enim, ut supra vidimus, antequam ingenium eius fractum et paene obtusum erat, carmina sua magno studio et industria emendare et perpolire solitus erat. In primis Metamorphoseon libris emendandis permultum laboris iam impendisse eum, multumque etiam impensurum fuisse, si licuisset, continuo apparet, si reputamus, quam magnam ex iis gloriam sibi exspectaverit. Et quamquam Ovidius non talis fuit qualis Vergilius, cui admodum difficile erat versus scribere, sed ei contra facillimum fuit quicquid dicere vellet versuum numeris condere, tamen etiam Ovidius multa sane in iis quae primo scripserat postea mutavit.

Unum exemplum hic dabo, ut Metamorphoses quales a poeta relictae et per tempora servatae sint, non tales inde ab initio conceptas et compositas esse appareat.

In elegia illa, Am. III, 12, qua permultas fabulas a se narratas enumerat, quas omnes ex Metam. libris petitas esse iam supra vidimus, etiam Scyllae mutationem affert, vs. 21 sq.:

„per nos Scylla patri canos furata capillo
pube premit rabidos inguinibusque canes."

Una tantum Scylla hic memoratur eamque patri capillos furatam et postea in monstrum mutatam esse alvum canibus succinctum perhibetur.

Si autem cum his ea comparamus, quae de Scylla Metamorphoses quales nunc habemus tradant, duas reperimus Scyllas plane inter se diversas:

alteram, Nisi filiam, quae amore Minois perducta patrem crine letifero spoliavit et in avem cirim mutata est (Metam. VIII, 1 sqq.);

alteram, Crataeide natam (cf. Odyss. XII, 124), quae Glauci amore spreto a Circe in monstrum illud mutata est quod cum Charybdi in freto Siculo nautis tam formidabile erat. (Met. XIII, 730 sqq.)

Duae igitur hae puellae cognomines Am. III, 12 a poeta prorsus confunduntur. Ceterum hoc non memoriae lapsu aut narrationis socordia factum esse, sed Ovidium re vera credidisse, Scyllam Nisi filiam in monstrum illud mutatam

esse, demonstrari potest ex eo, quod etiam hic locus, A. a. I. 331 sq., eandem confusionem praebet:

„filia purpureos Niso furata capillos
pube premit rabidos inguinibusque canes."

Nec Ovidius solus erat, qui primo unam Scyllam fuisse putaret. Nam auctor carminis, cui ‚Ciris' est nomen, qui Scyllam Nisi filiam in avem cirim mutatam esse narrat, vs. 54 sqq. dicit:

54 „complures illam et magni, Messala, poetae
56 longe alia perhibent mutatam membra figura
Scyllaeum monstro saxum infestare voraci."

Inter magnos autem illos poetas praeter Ovidium numerandi sunt Propertius et Vergilius.

Propertius enim V, 4, 39 sq. haud multo ab Ovidio discrepat:

„Quid mirum in patrios Scyllam saevisse capillos,
candidaque in saevos inguina versa canes?"

Et Vergilius, Ecl. 6, 74 sqq.

„Quid loquar, aut Scyllam Nisi, quam fama secutast
candida succinctum latrantibus inguina monstris
Dulichias vexasse rates et gurgite in alto
a! timidos nautas canibus lacerasse marinis."

Et Vergilius igitur et Propertius et Ovidius hac in fabula eodem vitio laboraverunt. Quare propter sodalicium familiareque vinculum quod inter poetas illius temporis exstitit, verisimillimum est, tunc vulgo creditum esse, Scyllam, Nisi filiam, propter crinem letiferum patri spoliatum in monstrum illud conversam esse. Sed haec falsa opinio non diu mansit. Nam ut Ovidius sic etiam Vergilius postea intellexisse videtur aliam esse Scyllam, Nisi filiam, aliam Scyllam in monstrum illud mutatam. Vergilius enim Georg. I, 404 sqq. de Scylla, Nisi filia, in avem mutata loquitur.

Ovidius ergo Scyllae fabulam primo plane aliter narravit ac nunc in libris VIII et XIII sq. legitur. Unde efficitur

eam iam ante relegationem hanc certe fabulam sed fortasse multo plures in opere suo mutasse atque emendasse. Nam si Amorum libri, quod vulgo creditur, non multo ante vel post Chr. n. editi sunt, Ovidius satis longum tempus Metam. libris componendis tribuit. Quod cum ei versus scribere facillimum esset neque verisimile sit eum sicut Vergilium paucissimos die composuisse versus, per longum illud tempus sat multum industriae emendationi adhibere potuit.

Atque huic rei iis temporibus magnam diligentiam impendisse auctores, non solum ex iis apparet quae Ovidius ipse de emendandis carminibus suis in Tristium libris (cf. pg. 34 sq.) dixit et quae de Vergilii Aeneide et Cinnae Smyrna nota sunt, sed etiam ex iis, quae Quintilianus, Inst. orat. X, 4 de ea docet. Emendationem is vocat „partem studiorum longe utilissimam." „Neque enim sine causa creditum est stilum non minus agere cum delet. Huius autem operis est adicere, detrahere, mutare. Sed facilius in iis simpliciusque iudicium, quae replenda vel deicienda sunt: premere vero tumentia, humilia extollere, luxuriantia adstringere, inordinata digerere, soluta componere, exultantia coercere duplicis operae: nam et damnanda sunt quae placuerant et invenienda quae fugerant. Nec dubium est optimum esse emendandi genus, si scripta in aliquod tempus reponantur, ut ad ea post intervallum velut nova atque aliena redeamus, ne nobis scripta nostra tamquam recentes fetus blandiantur."

Talem emendationem etiam Ovidium carminibus suis adhibuisse et in primis quidem Metam. libris, in promptu est reputantibus, quae ipse de ea re diversis locis dixerit. Sed quamvis multa iam mutasset, adiecisset, detraxisset, operi, iam ad finem narrationis perducto, ultima lima adhuc deerat. Emendationem summam perrupit relegatio.

Id ipsum, quod relegatio summam emendationem perrupit ideoque non satis perpolitum opus suum reliquit Ovidius, in arte critica huic adhibenda, semper spectandum esse liquet. Attamen hoc admodum videtur neglectum esse. Et verba enim et locutiones et versuum partes vel toti versus et versuum complexus qui offendunt aut narrationis

flumini impedimento sunt, depravationi librorum manu scriptorum aut interpolatori cuipiam et falsatori plerumque adscribuntur. Quare inde a saeculo decimo sexto usque ad nostra tempora editores aliique viri qui artem criticam exercebant pro virili parte Metamorphoses falsis additamentis repurgare studuerunt (cf. pg. 7 sqq.) Heinsius igitur vicit; eius ratio mansit.

Paulatim vero hic illic dubitationes ortae sunt. Iam O. Korn, cum M. Hauptii editionem Metamorphoseon recognosceret, in praef. Vol. II, pg. 3 sibi persuasum esse dixit, „dass die nicht selten in dem Marcianus 225 entgegentretenden Rauhigkeiten und Unebenheiten des Ausdrucks nicht sowohl den Abschreibern als dem Dichter selbst zuzurechnen seien." Et A Riese, Ovid. Vol. II, praef. pg. VIII: „verisimillimum est, diversarum lectionum multas ab ipso originem ducere." Uterque ad hanc sententiam ductus est ex eo, quod Ovidius opus suum imperfectum reliquit.

Verum haec, quae dixerunt Korn et Riese, spectant ad varietatem et depravationem scripturae si codices inter se discrepant aut idem codex, ut puto Marcianus, diversas eiusdem rei lectiones exhibet. Haec sententia de singulis pro certo stabiliri non potest; nam admodum difficile erit diiudicare, utrum prava locutio, verbum mendosum ab Ovidio ipso neglegenter sit positum an bene positum ab eo, qui codicem scripsit, vel correxit, vel emendare conatus est, depravatum sit.

Aliter vero res se habet, ubi agitur de totis versibus aut sententiis, qui non mendosae aut leviter tantum corruptae leguntur in codicibus, et cursum tamen sermonis impediunt. Nam si oratio turbatur versibus, qui per se spectati non sunt mendosi, non Ovidio indigni, duae huius rei explicandae rationes adsunt; aut ab interpretatore, vel lectore, vel librario docto interpolati sunt, aut ab auctore ipso originem habent et in codicibus non deleti sed servati sunt. Tertia, si quid video, non datur. Primam usque ad hoc tempus secuti sunt fere omnes qui in veteribus auctoribus prava et mendosa ferre noluerint. Altera digna esse videtur quae paululo diligentius reputetur et perquiratur.

§ 2. *Loci quidam ubi codices manum emendatricem auctoris servavisse videntur.*

Capite secundo iam egimus de fabula Perimeles nymphae in insulam mutatae ad demonstrandum, huius certe loci versus nonnullos plane abundantes ab interpolatore originem habere non posse. Quare ad eam nunc redeamus. Locus est VIII, vss. 595 sqq.

Excepi nantemque ferens „o proxima mundi
regna vagae" dixi „sortite tridentifer undae,
adfer opem mersaeque, precor, feritate paterna
da, Neptune, locum; vel sit locus ipsa, licebit."
Dum loquor, amplexa est artus nova terra natantes
et gravis increvit mutatis insula membris."

Ita, unusquisque videbit, breviter sane, sed pulchre res narrata est. Hi tantum versus sunt in cod. Marciano. Alii tamen pro his sex versibus exhibent non minus duodeviginti. Unde tandem sunt duodecim ceteri?

Iusta causa inserendi non adest; nemo saltem id demonstrare potuit, ne O. T. Gruppe quidem, qui nihil aliud quam: „eine der kühnsten Schönheiten des Dichters ist uns hier veruntreut" [1]).

An etiam hic adesse credamus id, quod ille veterum auctorum repurgator de innumeris quas detexisse sibi visus est „interpolationibus" dixit: „ein Produkt des Buchhandels"?[2]) Nemo, credo, tam stultus fuit bibliopola, qui talem depravationem cuiusquam auctoris inserendam curavisset aut inseri passus esset, ut „novamelioremque" editionem commendaret venditaretque.

Vulgata igitur explicandi ratio hic nihil iuvat. At horum versuum supervacaneorum origo iam indicata est ab I. I. Hartman, in editione Metamorphoseon: poeta ipse bis eandem rem narravit, sed adhuc in dubio erat utrum longiorem an

1) Minos, pg. 450 sq.
2) Minos, pg. 165.

breviorem narrationem retineret; in libris deinde duae narrationes inter se mixtae sunt.

Haud dubium mihi videtur, quin ille rem acu tetigerit. Quid enim? Ovidius, ut supra vidimus, Metamorphoseon narrationes ad finem perduxerat; multa sane iam mutaverat et emendaverat; nunc in eo erat, ut ultimam manum adhiberet, ut hic illic aliquid adderet et amplificaret, vel demeret et contraheret; ut „premeret tumentia, humilia extolleret, luxuriantia adstringeret, inordinata digereret, soluta componeret, exultantia coerceret." (cf. Quint. in pg. 79) Id agens nostro loco fortasse sic fere invenit scriptum:

Excepi, nantemque ferens „o proxima mundi
regna vagae" dixi „sortite Tridentifer undae,
in quo desinimus, quo sacri currimus amnes,
huc ades, atque audi placidus, Neptune, precantem.
Huic ego quam porto nocui. Si mitis et aequus
si pater Hippodamas, aut si minus impius esset,
debuit illius misereri, ignoscere nobis.
Cui quondam tellus clausa est feritate paterna
da, Neptune, locum — vel sit locus ipsa licebit;
hunc quoque complectar." Movit caput aequoreus rex;
concussitque suis omnes adsensibus undas.
Extimuit Nymphe; nabat tamen. Ipse natantis
pectora tangebam trepido salientia motu;
dumque ea contrecto, totum durescere sensi
corpus et inducta condi praecordia terra.

Haec, quamquam per se non admodum mala, cum ceteris tamen verbis Acheloi breviter et acuta simplicitate rem rogatam narrantis, non optime congruebant. Praecipue precatio ad Neptunum tali in re longior erat et tam placida narratio hic non ad rem erat. In brevius igitur redigere conatus est. Et haec brevior narratio optime cessit; quare in charta sua longiori narrationi hanc breviorem adscripsit. Duae hae narrationes iam a librario vel scriba quodam descriptae erant, cum poeta Tomos ire iussus est. Igitur in exemplo clam poeta facto omnia quae scripserat manserunt, et invito auctore quae de eadem re bis tentaverat servata sunt. In codicibus nonnullis omnia descripta sunt; in aliis remota

quae scriptori vel correctori supervacanea videbantur.

Hac ratione omnia iustam invenerunt explicationem. Etiam versus iste damnatus, quem omnibus quam maxime impedimento esse oportebat, eamque ob causam iam diu longe remotus erat:

„cui quondam tellus clausa est feritate paterna"

in illa longiore narratione suum habet locum. (Mendosum tamen in eo est verbum „quondam"; dictum enim est ex mente Acheloi narrantis non precantis, quod haud dubie falsum est; emendatione igitur opus fuisset, si hanc longiorem narrationem retinuisset poeta).

VIII, 651 sqq.

Inde per commodissimum et admodum feliciter aptum nexum transit poeta ad amoenam illam semperque laudatam fabulam Philemonis et Baucidis, unicuique notam, quam magna cum voluptate et amore depinxit rebusque minutissimis et subtilissimis exornavit. Iuppiter et Mercurius specie mortali veniunt in Phrygiam, requiemque petentes multorum domos adeunt. Omnes clauserunt ianuam: una tantum domo dii recepti sunt in qua Philemon et Baucis, senes iam ambo, habitabant. Hi quamvis pauperes liberaliter hospites excipiunt, sedili posito membra levare iubent, cenam parare laborant, igne suscitando, olere colligendo, lardo resecando, aqua fervefacienda.

vs. 651 Interea medias fallunt sermonibus horas
concutiuntque torum de molli fluminis ulva.
Vestibus hunc velant, quas non nisi tempore festo
sternere consuerant: sed et haec vilisque vetusque
vestis erat, lecto non indignanda saligno.
Adcubuere dei. sqq.

Omnia haec, quod ad verba attinet, recte se habent; nihil offendit. At primus quod sciam ita edidit R. Merkel; eumque secuti sunt alii. Sed ante eum editores hunc locum aliter exhibuerunt:

v. 651. Interea medias fallunt sermonibus horas
sentirique moram prohibent. Erat alveus illic

fagineus, dura clavo suspensus ab ansa:
is tepidis impletur aquis artusque fovendos
accipit. In medio torus est de mollibus ulvis
impositus lecto, sponda pedibusque salignis.
Vestibus hunc velant, quas non nisi tempore festo
sternere consuerant: . . . sqq.

Commodissime post vs. 651 hic inserti sunt tres alii, 652-4; et ut hoc fieri posset, mutatus est vs. 655. His autem additis et mutatis haud dubie totus locus melior redditus est. Ita ut primo positus erat, post vs. 651 paulo abruptius atque celerius sane pergebat narratio. Praeterea illud hospitii documentum, quod veteres negligere non solebant, ut hospitibus pedes lavandi copiam darent, primo omissum nunc repositum est, tam apte tamque simplicibus, tam limpidis et venustulis verbis, ut prorsus admiratione dignum sit. Attamen corrigere sane res est ardua, ut Ovidius, cui tam facile erat versus scribere, ipse testatur [1]).

Versus haud dubie egregios 652-5, ante Merkelium vulgo receptos, etiam post hunc nonnulli editores retinuerunt, omisso illo, qui loco vs. 655 erat:

concutiuntque torum de molli fluminis ulva.

Cur Merkel hos versus 652-55 spurios iudicavit? Codex Marcianus, quem omnes editores sequuntur, in textu omittit; alii codices minoris pretii praebent. Itaque removendos esse rati sunt. At Marcianus vs. illum: ‚concutiuntque .... ulva' a manu secunda lineola inducta deletum habet, et in margine adscriptos habet vs 652-5. Undenam hi versus primum omissi, deinde in margine adscripti? Ecquis librarius, ecquis lector, ecquis grammaticus eos inserere potuit?

Immo vero etiam hic codices variantes manum poetae ipsius corrigentem et amplificantem bona fide servarunt. Poeta enim huic operi, quod „adhuc crescens et rude carmen erat," [2]) manum emendatricem adhibens, huic loco

---

1) ex Ponto III, 9, 23. Vide totum locum vs. 11-24, pg. 34.
2) Trist. I, 7, 22 vid. pg. 67 sq.

aliquid etiam deesse arbitratus est. ‚Emendatio optime successit.

VIII, 688 sqq.

Narrationem procedentem persequamur. Dis accubantibus cenatur: gustatio, fercula, mensae secundae feruntur. Interea hospites deos esse apparet; senes poenitet cenam nullis apparatibus esse; anserem unicum hospitibus mactare parant.

688 Superi vetuere necari
„di" que „sumus, meritasque luet vicinia poenas
impia" dixerunt; „vobis immunibus huius
esse mali dabitur. Modo vestra relinquite tecta
ac nostros comitate gradus et in ardua montis
693 ite simul." Parent ambo baculisque levati
nituntur longo vestigia ponere clivo.

Hanc lectionem, veram quam dicit O. Korn, restituit Heinsius praecipue ad textum Marciani. Quodsi participium perfectum medium ‚levati', accipere velis pro praesenti, bonam dixeris eam locutionem, fortasse veram, si placet. Sed in eodem codice, Marciano, tria ultima verba a manu *b* (ita O. Korn) lineola inducta deleta sunt et a manu 1 haec sunt superscripta alia verba, ita ut illis omissis et his additis legatur:

693 ite simul."Parent *et dis praeeuntibus ambo*
membra levant baculis tardique senilibus annis
nituntur longo vestigia ponere clivo.

Et alii codices pro duobus hos tres habent versus. Unde haec verba? Illud: ‚tardique senilibus annis' Heinsius nugatoris commentum esse putat. Quam ob rem? Quia senio confectas fuisse tam Baucida quam Philemonem iam supra non semel monuerat poeta. Certe, iam quater monuerat. At, quaeso, quinquies monere non licebit? Sed, inquit Heinsius, iam et ‚tardos aetate' eos vocarat. Haud dubie; et omnis iteratio eiusdem verbi intra paucorum versuum ambitum Heinsio displicebat. At non item Ovidio. Permulta exempla unusquisque ex eius carminibus colligere potest,

quae doceant eum talia non anxie vitasse. Hoc enim ipso loco, ut unum saltem exemplum afferam, casa Philemonis vocabulo ‚tecta' indicatur, vs. 691 „modo vestra relinquite tecta'; quod vocabulum brevi post bis iteratur, vs. 697: „tantum sua tecta manere" et vs. 701: „aurataque tecta videntur."

Nec opus esse dicit Heinsius eo ‚Dis praeeuntibus' cum et deos iussisse ut se comitarentur, et illos paruisse praemiserit. At si quis ex Ovidio removere vellet, quae non opus essent, certo plane alium Ovidium haberemus. Et quod maius est, non prorsus idem est, si dicis deos praeire Philemoni et Baucidi ac eos deorum gradus comitari.

Nugatoris commentum esse illa verba igitur iustis argumentis non confirmavit Heinsius. At contra, quisquis vs. 693 tria ultima verba delevit et pro iis scripsit alia illa, is profecto amoenitatem loci auxit, picturae, ut ita dicam, addenda imagine, qua senes baculis nitentes deorum gradus sequentes aequare conati vivide ante oculos depinguntur. Et quis hanc imaginem descriptioni addere potuit nisi poeta ipse?

VIII, 695 sqq.

Continuo poeta procedit ita:

vs. 695 Tantum aberant summo, quantum semel ire sagitta
missa potest: flexere oculos et mersa palude
cetera prospiciunt, tantum sua tecta manere.
Dumque ea mirantur, dum deflent fata suorum,
illa vetus, dominis etiam casa parva duobus
vertitur in templum: . . . sqq.

Ita inde a Ciofano usque ad nostrum tempus omnes editores exhibent; ita etiam codices. Narratio enim breviter quidem sed simpliciter et optime continuata est; nihil deest, nihil offendit. Sed Ciofanus et post eum Heinsius et alii adulterinos censuerunt versus alios, qui in codicibus Marciano et Amploniano in margine sunt adscripti:

696 missa potest. flexere oculos et *inhospita tecta*
mersa vident, quaeruntque ubi sint pia culmina villae:

sola loco stabant. Dum deflent fata suorum
(pro: ‚ubi sint' in Marc. est ‚suae'.)

Haec verba codicum auctoritate damnata sunt. Sed cur adscripta sunt? Nulla lacuna est in iis quae codices in textu habent: haec enim sunt optima. Causa inserendi aliquid nulla adest. Nihil etiam novi addunt illa alia. Neque meliorem reddunt locum. Quamquam aliquid inest, quod vitiosum est, tamen non male enuntiata sunt, melius quam vulgaris interpolator potuit. Nam interpolator ingeniosus, artificiosus hinc manum abstinuisset. Quare etiam hoc loco unam modo explicationem video: haec verba, quae in margine codices servarunt, a poeta ipso originem habent, qui primo scripsit:

696 . . . . . flexere oculos et inhospita tecta
mersa vident, quaeruntque suae [1]) pia culmina villae:
sola loco stabant. Dum deflent fata suorum sqq.

Haec dum limam adhibens iterum recognovit, vitiosa censebat. Nam licet cetera non mala essent, verba ‚*inhospita* tecta' et ‚*pia* culmina' ex mente Baucidis et Philemonis non apte dicta erant; praeterea omiserat dicere senes mirari eam rem, quam videbant. Ergo mutanda erant in melius; et emendatio optime cessit.

VIII, 801 sqq.

Fabulae Philemonis et Baucidis annectitur historia Erysichthonis. In ea Fames describitur:

vs.801 Hirtus erat crinis, cava lumina, pallor in ore,
labra incana situ, scabrae rubigine fauces,
dura cutis, per quam spectari viscera possent,
ossa sub incurvis exstabant arida lumbis,
805 ventris erat pro ventre locus, pendere putares
pectus et a spinae tantummodo crate teneri.
Auxerat articulos macies, genuumque tumebat
orbis, et immodico prodibant tubere tali.

Haec omnes ceteri editores agnoscunt. Merkel solus vss. 806 et 807 omittit, pro duobus ultimis vs. 805 verbis

1) Varia lectio: ubi sint.

reposuit ex vs. 807: ‚genuumque tumebat'. Codex enim Marcianus vs. 806 et 7 non in textu sed in margine habet, et vs. 805 ‚pendere putares' „sunt in rasura, in qua olim fuisse constat: ‚genuumque tumebat'."

Itaque fieri potest ut ille Codex vestigia servaverit manus secundae auctoris, qui inter ea, quae primo scripsisset, postea insereret uerba: „pendere putares pectus . . . articulos macies"; nisi scriba errore ductus haec verba omisit, quae a manu secunda sunt reposita. Haec verba enim ea sunt, ut ab interpolatore quodam addita esse verisimile non sit.

VIII, 281 sqq.

In eiusdem libri priore parte fatum Meleagri, Oenei filii narratur et aper Calcdonius describitur. Diana

. . . . . . Oeneos ultorem spreta per agros
misit aprum, quantum maiores herbida tauros
non habet Epirus, sed habent Sicula arva minores.
Sanguine et igne micant oculi, riget horrida cervix,
et setae similes rigidis hastilibus horrent,
stantque velut vallum, velut alta hastilia setae,
fervida cum rauco latos stridore per armos
spuma fluit, dentes aequantur dentibus Indis,
fulmen ab ore venit, frondes afflatibus ardent.

Ita multi codices. Marcianus vero vs. 286 in margine habet a manu 2 adscriptum. De his duobus versibus, 285 et 286 Naugerius hoc: „utrumque mea sententia Ovidii est, cum tamen alterutrum repudiandum sit. proximum hemistichion ‚riget horrida cervix' in caussa fuit, ut hoc (285) excluderemus." Quod si sententia Naugerii probanda est, hoc loco bis idem tentavit enuntiare poeta; bis, opinor, parum successit. Neutrum fortasse versum retinuisset, si ultimam huic loco limam adhibere potuisset.

Tredecim loci sunt in libro octavo, ubi unus pluresve versus in codicibus melioribus, Marcianum potissimum specto, aut plane omissi aut in margine adscripti sunt.

Ex iis sex locos, ubi versus in Marciano omissi vulgo

pro spuriis habentur, iam tractavimus. Cum autem hos versus interpolatori aut falsatori imputari non necessarium esse apparuerit sed multo potius ab auctore ipso, opus suum emendante atque perpoliente, originem habere, operae pretium est, etiam reliquos septem locos paulo accuratius inspicere.

Ut eum, qui codicem scripsit, versus 164 sq., 177, 270, 683, 817 errore omisisse continuo appareat, eos describam.

Non secus ac liquidis Phrygius Maeandrus in undis
ludit et ambiguo lapsu refluitque fluitque
164 occurrensque sibi venturas adspicit undas,
165 et nunc ad fontes, nunc ad mare versus apertum
incertas exercet aquas: ita Daedalus implet
innumeras errore vias.

Desertae et multa querenti
177 amplexus et opem Liber tulit; utque perenni
sidere clara foret, sumptam de fronte coronam
immisit coelo . . . sqq.

Sparserat Argolicas nomen vaga fama per urbes
Theseos, et populi, quos dives Achaia cepit,
huius opem magnis imploravere periclis.
270 Huius opem Calydon, quamvis Meleagron haberet,
sollicita supplex petiit prece. Causa petendi
sus erat, infestae famulus vindexque Dianae.

Attoniti novitate pavent manibusque supinis
concipiunt Baucisque preces timidusque Philemon
683 et veniam dapibus nullisque paratibus orant.
Unicus anser erat, minimae custodia villae:
quem dis hospitibus domini mactare parabant.

(Fames) . . . perque aëra vento
ad iussam delata domum est et protinus intrat
817 sacrilegi thalamos altoque sopore solutum
(noctis enim tempus) geminis amplectitur ulnis: sqq.

Praeterea in Marciani textu omissi sunt vss. 340—402, a manu tamen posteriore in margine adscripti. Etiam hi 63 versus nullo modo deesse possunt; atque facile errore scri-

bae excidere potuerunt, cum duas paginas vel plagulas explevisse videantur. Quod cum post XIII, 275 quoque 68 versus exciderint et 36 versus post XIV, 271, non temere ex his efficitur, libri illius ex quo Marcianus descendit, paginas vel plagulas tricenos et quaternos fere versus continuisse.

VIII, 83 sqq.

Restat ex omnibus illis tredecim locis unus tantum, vs. 87, de quo iam supra egimus, pg. 17.

Scylla, Nisi filia, quae amore flagrans Minois urbem obsidentis patrem suum crine vitali spoliavit.

83. Prima quies aderat, qua curis fessa diurnis
pectora somnus habet: thalamos taciturna paternos
intrat et (heu facinus!) vitali nata parentem
crine suum spoliat, praedaque potita nefanda
87 fert secum spolium celeris progressaque porta
per medios hostes (meriti fiducia tanta est)
pervenit ad regem.

Versus autem ille, 87, qui in multis codicibus exstat, sed Marciano in margine adscriptus est, eam ob causam ab Heinsio multisque post eum aliis editoribus pro spurio tollitur. Verum hanc iustam eiciendi causam non esse, iam antea, cap. I § 5 vidimus; quare idem demonstrare ex iis quos in libro VIII Marcianus omittit versibus, vix opus est. Satis igitur erit commemorare nullo omnino huius libri loco iustis argumentis demonstrari posse, versum ullum in illius codicis margine tantum positum, a falsario aut interpolatore insertum esse. Nam quod post vs. 317 idem Marcianus habet prorsus alius generis est. Ne quis dubitet, locus hic sequitur.

Inde a vs. 300 nominantur iuvenes, qui Meleagro in venatione apri Calydonii comites erant:

315 Penelopaeque socer cum Parrhasio Ancaeo
Ampycidesque sagax et adhuc a coniuge tutus
317 Oeclides nemorisque decus Tegeaea Lycaei.
Venit athalantis coenei pulcherrima virgo.

Etiamsi corrigis ‚atalanta' pro ‚athalantis et ‚schoenei' pro ‚coenei' statim ea verba apparet „non versum sed notulam esse scholiastae cuiusdam errantis." [1])

Codicum ergo auctoritate uti non licet, ut hunc versum ex interpolatione ortum esse cogitetur. Alia causa eiciendi adesse debet. Quid tandem huic versui vitio datur? Verba, inquiunt, ‚fert secum spolium' molestas afferunt iterationes.[2]) At poeta nondum dixit Scyllam crinem secum ferre; aliud enim est patrem crine spoliare, aliud crinem secum ferre. Deinde verba, ‚progessaque porta' narrationi ad finem properanti parum apta esse aiunt. Ad finem properare narrationem! Media adhuc sumus in re. Quod si reputemus Ovidium fastigium narrationis rebus exornare minutis subtilibusque amare, et si Scyllam vs. 70 modo claustra portarum sibi esse impedimento dixisse reminiscamur, nihil obstare videmus quominus hunc versum, qui nihil vitiosi contineat, nihil quod iam dictum sit, nihil quod orationem impediat, pro Ovidiano vindicemus. Fac, ab Ovidio eum non scriptum esse, quae tum causa aderat aliquid inserendi? Nam sane deesse posset si id necesse esset. Et quis interpolator versum sententiae tam aptum tam accommodatum narrationi excogitavisset?

Ex tredecim igitur locis illis, ubi Marcianus unum pluresve versus in textu omittit, sed in margine adscriptos habet, nullus est eiusmodi, ut pro certo statui liceat, interpolatorem aut falsatorem quaedam inseruisse. Immo vero aut errore exciderunt illi versus, aut ab auctoris ipsius manu, opus suum emendantis, profecti sunt.

Sed alias quoque libros adeamus inquirentes, nonne etiam in his versus qui propter variam codicum scripturam vulgo pro spuriis habeantur explicari possint ex eo, quod poeta opus suum imperfectum reliquit.

I, 543 sqq.

In libro primo Daphne nympha describitur in laurum

1) O. Korn, ad h. l.

2) cf. M. Haupt, ad h. l.

mutata. Phoebi amorem spernens nymha fugit; deo eius vestigia premente iam iamque eam assecuto

543 viribus absumptis expalluit illa, citaeque
victa labore fugae, spectans Peneïdas undas,
545 ‚Fer, pater', inquit, ‚opem; si flumina numen habetis;
qua nimium placui, tellus aut hisce vel istam
quae facit ut laedar, mutando perde figuram'
Vix prece finita, torpor gravis occupat artus, sqq.

Sic olim edebatur. Heinsius tamen 546 et 7 Ovidianos non existimat. Gierig ex his duobus unum confecit, ita ut legatur id quod cum eo nunc plurimi editores exhibent:

qua nimium placui, mutando perde figuram.

Merkel vero alterum hemistichion vs. 545 et primum vs. 546 omittit. Pauci editores omnia retinuerunt. Codices hic mire variant.

Laurentianus

Victa labore fugae, tellus, ait, hisce vel istam
quae facit ut laedar, mutando perde figuram,
qua nimium placui spectansque Peneïdos undas
fer, pater, inquit, opem, si flumina numen habetis.

Amplonianus: (idem quod olim edebatur)

Victa labore fugae spectans Peneïdos undas
fer pater inquit opem, si flumina numen habetis
qua nimium placui tellus aut hisce vel istam
quae facit ut laedar mutando perde figuram.

Quisque videbit, haec re vera eadem esse, sed ordine mutato. Et paululo accuratius reputanti facili apparebit, hic duas precationes in unum collatas et confusas esse:

tellus, ait, hisce vel istam
quae facit ut laedar, mutando perde figuram
et: spectansque Peneïdas undas
fer pater inquit opem, si flumina numen habetis.

Hemistichia enim:

quae facit ut laedar
et qua nimium placui } eadem fere enuntiant.

Utraque locutio et quod ad verba et quod ad rem pertinet

per se non mala est; sed et unam et alteram eodem in discrimine a Daphne dictam esse, poetae non imputandum est. Et si poeta aut primam aut alteram scripsisset, nemo certe lacunam vidisset et supplere conatus esset. Nihil restat nisi hoc, quod Ovidius primum quod scripserat postea emendavit et alterum reposuit. Marcianus viam monstrabit; is dedit:

544 victa labore fugae tellus ait hisce vel istam
qua nimium placui mutando perde figuram.

Sed altero vs. 544 hemistichio superscriptum est:

spectans Peneïdos undas

et in margine:

fer pater inquit opem, si flumina numen habetis
quae facit ut laedar mutando perde figuram.

Ex his omnibus admodum credibile puto, poetam primo dedisse ea, quae in Marciano scripta sunt, sed postea, cum emendaturus opus suum recognosceret, Tellurem hic a Peneide invocari minus aptum ratum, alterum supposuisse.

IV,765sqq.

In Perseos et Andromedae nuptiarum honorem convivium celebratur.

764 Postquam epulis functi generosi munere Bacchi
765 diffudere animos, cultusque genusque locorum
quaerit Abantiades: quaerenti protinus unus
narrat, Lyncides, moresque habitumque virorum.
Quae simul edocuit „Nunc, o fortissime" dixit,
fare precor, Perseu, quanta virtute quibusque
770 artibus abstuleris crinita draconibus ora."

Locum dedi, qualis olim edebatur, nisi quod vs. 765 pro ‚genusque locorum' plerumque erat ‚habitusque l.' Sed ‚genusque locorum' in codicibus est.

Haec iam pridem, nec mirum, dubitationem moverunt. In primis offendebat, quod Abantiades quaerit cultum locorum, Lyncides respondens plane aliam rem, mores virorum, narrat. Quare multi vs. 766 spurium censuerunt atque eiecerunt. Qui istum versum proicere nolebant, sive utroque

loco, vs. 765 et 767 idem aut ‚locorum' aut ‚virorum' legere suadentes sive dicentes Lyncidem non solum respondisse ad ea quae quaesita essent sed comiter atque urbane insuper mores incolarum descripsisse, nimio fortasse studio vulgatae lectionis defendendae obliti sunt Lyncidem non Aethiopem esse, sed ipsum Perseum, qui vs. 776 Abantiades vocatur.[1]) Nam Abas, Persei proavus, filius erat Lyncei cui Hypermnestra nupta fuerat. Lynceus — Abas — Acrisius — Danaë — Perseus.

Sed neque omisso vs. 766 difficultates tolluntur. Nam si legitur, auctore quodam codice,:

cultusque genusque locorum
narrat Lyncides, moresque habitumque virorum.
768 Quae simul edocuit „Nunc o fortissime" dixit,
fare precor, Perseu, sqq.

unum vitium vitatur; alterum manet, hoc scilicet, quod Perseus se ipsum alloquitur: „o fortissime Perseu."

Neque melius fit, si cum alio codice scribitur:

cultusque genusque locorum
quaerit Lyncides, moresque habitumque virorum.
758 Quae simul edocuit „Nunc o fortissime" dixit
fare precor, Perseu, sqq.

Nunc Perseus quaerit, Perseus respondet, Perseus se ipsum alloquitur: ‚o fortissime Perseu.' Quicquid igitur praebebant codices, nihil sine vitio. Tandem nodum non expedivit quidem, attamen perrupit M. Haupt, vs. 769 pro ‚Perseu' legendo ‚Cepheus' et edendo:

. . . . . cultusque genusque locorum
quaerit Lyncides moresque animumque virorum.
Quae simul edocuit ‚nunc o fortissime' dixit
‚fare precor' Cepheus . . . . .

Quo facto Perseus quaerit, Cepheus respondet generumque adloquitur: ‚o Perseu'.

---

1) Ita Tan. Faber, E. C. Chr. Bach, G. E. Gierig, F. H. Bothe, I. C. Iahn, V. Loers, fortasse alii.

Haec omnia recte quidem. Tenendum vero est omnes codices habere ‚Perseu'. Et praeterea: unde cetera omnia, quippe quae per se spectata non mala sint? Ubi nihil deerat narrationi neque lacuna erat statuenda, cur interpretes, scholiastae, interpolatores aliquid supplere conati essent?

Etiam hanc rem eadem ratione explicari posse censeo, qua qui supra tractati sunt loci. Paulo accuratius inspiciamus ea, quae in codicibus scripta sunt.

Tria sunt, quae variis modis enuntiata inveniuntur:

1um cultusque genusque locorum
quaerit Abantiades;

2um quaerenti protinus unus
narrat........ moresque habitumque virorum

3um Quae simul edocuit „Nunc o fortissime", dixit
„fare precor" Perseu, sqq.

Sed non per haec omnia poeta narrationem continuare poterat: aut primum aut alterum reiciendum erat.

Fortasse primo tentavit poeta:

. . . cultusque genusque locorum
quaerit Abantiades (vel Lyncides);

sed quia super cenam nuptialem talis sermo rusticior videri poterat a Perseo saltem talis quaestio exspectari non poterat, aliter conatus est:

diffudere animos, quaerenti protinus unus
narrat Lyncidae moresque habitumque virorum
Quae simul edocuit, „Nunc, o fortissime," dixit, sqq.

Et quae primo et quae deinde tentavit poeta, codices servaverunt, sed mutatis aliquot verbis confuderunt. Poeta ipse delere quae omissurus erat non poterat.

VI, 280 sqq.

Niobe, certior facta septem filios Appollinis et Dianae sagittis occidisse et irata, quod ausi hoc essent superi, quod tantum iuris haberent,

277 corporibus gelidis incumbit et ordine nullo
oscula dispensat natos suprema per omnes.
A quibus ad caelum liventia bracchia tollens
280 ‚pascere, crudelis, nostro, Latona, dolore,
pascere’ ait, ‚satiaque meo tua pectora luctu,
corque ferum satia’ dixit: ‚per funera septem
efferor. Exulta victrixque, inimica, triumpha! sqq.

Ita fere omnes codices, nisi quod in uno alterove pro ‚satia’ legitur ‚satura,’ et in uno vs. 282 omissus est. Heinsius, quia ‚dixit’ otiosum putat cum ‚ait’ iam praecesserit, vs. 212 spurium censet, „quem commenti sunt, qui non intelligebant quantum esset acuminis in illo ‚efferor’.” At hoc postremum Heinsius non serio dixisse videtur; nam dubitat; itaque addit: „nisi mavis praecedentem (281 sc.) tolli. Alteruter est amovendus. Nam primus Palatinus pro posteriori hunc substituebat,

dum pars nostra iacet, et dum per funera septem,

qui in plurimis membranis exstat.”

E quibus efficitur, Heinsium praecipue auctoritate codicum duci. Plurimi codices, quod iam Heinsius monuit, etiam alium versum servaverunt, qui tamen, editione principe excepta, ab omnibus editoribus oblitteratus est. Plurimi igitur codd. habebant:

280 pascere, crudelis, nostro, Latona, dolore
pascere, ait, satiaque meo tua pectora luctu,
corque ferum satia, dixit, per funera septem
dum pars nostra iacet et dum per funera septem
efferor, exulta victrixque inimica triumpha!

Facile est intellectu, et librarios et editores hunc versum ‚dum pars nostra iacet et dum per funera septem’ propter tria ultima verba omisisse. Sed, ita rogandum est, nonne egregie enuntiatus est, nonne egregie matris animum motum et consternatum depingit? Quamvis concedendum sit, verbo ‚efferor’, sic nudo posito, aliquid acuminis inesse, tamen minime reiciendum est: ‚per funera septem efferor’.

Inter omnes, opinor, convenit hos quinque versus, quos

novissime perscripsi, sic omnes propter nimiam tautologiam non ferendos esse. Sed multo meliores sunt, quam ut interpolatorem eos commentum esse credamus. Quare mihi admodum verisimile videtur, omnes a poeta ipso scriptos esse et hic duas Niobes orationes a librariis inter se confusas esse:

‚pascere, crudelis, nostro, Latona, dolore
corque ferum satia' dixit ‚per funera septem
efferor. Exsulta victrixque sqq.

et:

‚pascere' ait ‚satiaque meo tua pectora luctu:
dum pars nostra iacet et dum per funera septem
efferor, exulta victrixque sqq.

Quoniam multi sunt, quos iterationes pascere — pascere; nostro dolore — meo luctu non offendant (poetae ipsi profecto non impedimento essent), fieri potest, ut si ultimam limam adhibere potuisset Ovidium postremo positurum fuisse putent: [1])

‚pascere, crudelis, nostro, Latona dolore,
pascere' ait ‚satiaque meo tua pectora luctu:
dum pars nostra iacet et dum per funera septem
efferor, exulta victrixque, inimica, triumpha!

Omnibus autem his locis, de quibus hucusque diximus, versus qui a plerisque editoribus pro subditiciis sunt eiecti, in codice Marciano aliisque quisbusdam aut plane desunt aut in margine sunt adscripti.

Sed alii quoque sunt, ubi neque codices unum pluresve versus omittant, neque editores pro spuriis censeant, attamen fortasse manum secundam auctoris liceat deprehendere. Duo exempla afferam.

I, 510 sqq.

In eadem fabula, quam modo tractavimus, qua Daphne

1) cf. IX, 177 sqq.
‚cladibus' exclamat, Saturnia pascere nostris
pascere et hanc pestem specta, crudelis ab alto
corque ferum satia!

in arborem mutata esse narratur, Phoebus nympham fugientem revocare conatur:

Moderatius, oro
curre, fugamque inhibe; moderatius insequar ipse.
512 Cui placeas inquire tamen. Non incola montis
non ego sum pastor, non hic armenta gregesque
horridus observo. Nescis, temeraria, nescis,
515 quem fugias, ideoque fugis. Mihi Delphica tellus
et Claros et Tenedos Patareaque regia servit;
Iuppiter est genitor; . . . . sqq.

Nihil in his offendit; nihil inest vitiosi; nulla adest lacuna; levis tantum abundantia, prorsus Ovidiana, in vs. 513. Neque codices unum alterumve versum omittunt. Sed Marcianus inter 511 et 512 alium habet versum interpositum:

va. Cui placeas inquire tamen. Mihi Delphica tellus. cat.

Iste versus, quem vacare ipse scriba notavit, ex prima vs. 512^{i} et altero vs. 515^{i} hemistichio constat. Qui codicem scripsit, primo igitur verba vs. 512 sqq. ‚Non incola montis. . . . . . quem fugias, ideoque fugis' omissurus erat. Et deesse sane haec possunt. Nam his omissis, apte minimeque male oratio pergit ita:

Cui placeas inquire tamen. Mihi Delphica tellus
et Claros et Tenedos Patareaque regia servit;
Iuppiter est genitor; sqq.

Unde autem factum est, ut scriba haec sola scribere in animo haberet? Num errore ductus est? Sed causa erroris non adest; nam nullum his versibus vocabulum inest, unde oculi ad sequentia aberrare possint.

Nonne fieri potest, ut ipse poeta locum dederit errori? Si primo scribere coepit:

Cui placeas, inquire tamen. Mihi Delphica tellus sqq.

sed deinde addenda quaedam arbitratus alio modo post primum hemistichion sermonem continuavit, ideoque duplex scriptura adhuc erat in charta, facillime hac re scriba posterior in errorem duci poterat. Quod si reputamus illum librum ex quo Marcianus descendit, plerumque non amplius

34 versus in singulis plagulis habuisse; illum librum igitur fortasse vetustissimum fuisse, papyraceum scilicet; si praeterea reminiscimur Marcianum saepius manum auctoris emendatricem indicasse: non longe reicienda est opinio, hunc codicem etiam hic manum secundam poetae ipsius retinuisse.

I, 199 sqq.

In eodem libro narratur, Iovem mortale genus perditurum in concilio deorum rettulisse, sibi ipsi, maximo omnium, a Lycaone insidias esse structas. Dii

199 „confremuere omnes studiisque ardentibus ausum
talia deposcunt. Sic cum manus impia saevit
sanguine Caesareo Romanam exstinguere nomen,
attonitum tanto subitae terrore ruinae
humanum genus est totusque perhorruit orbis.
204 Nec tibi grata minus pietas, Auguste, tuorum est,
quam fuit illa Iovi. Qui postquam voce manuque
206 murmura compressit, tenuere silentia cuncti.
Substitit ut clamor, pressus gravitate regentis,
Iuppiter hoc iterum sermone silentia rupit."

In his nonnulla sunt, quae offendunt. Iam Bothe vs. 206, quem Marcianus in margine habet adscriptum, inclusit propter verba ‚murmura' et ‚clamor', quoniam „ubi murmurant clamor esse non potest." At vs. 206 post 205 deesse nequit; atque optime enuntiata est sententia:

Qui postquam voce manuque
murmura compressit, tenuere silentia cuncti.

Sed plane eandem habemus sententiam in vs. 207:

substitit ut clamor, pressus gravitate regentis.

Haec nimia tautologia Merkelium adduxit ut vss. 207 sq. proscriberet atque „interpolationis generi, quod tertium appellat, accenseret." Rectissime Mercel cum vs. 207 etiam 208 eiecit. Nam hic post vs. 206 non nimium desideramus, quod sermonem insequentem denuntiet. Quamquam omnium locorum, quos Merkel attulit ad demonstrandum Ovidium saepius hoc omisisse, ne unus quidem ad rem facit,

rectissime tamen ille vs. 208 cum antecedente coniunxit; unam enim hi duo efficiunt sententiam. Sed haec sententia post vs. 205 plane supervacanea est.

Sed aliud quoque his versibus inest, quod officit atque obstat. Quid enim hic Augustus? Ad comparationem similitudinemque supplendam? Minime necessarium est. Ut enim dii omnes, ait poeta, audita Lycaonis ferocitate confremuerunt, sic post Caesarem interfectum totus orbis terrore perhorruit. Tota igitur similitudo versibus 200 — 203 plane est absoluta. Neque ad supplendam ergo neque ad exornandam similitudinem quicquam addere opus erat. Quare quae sequuntur vss. 204 sq. paulo longius petita sunt, parum accommodata sunt toti narrationi. Non temere igitur dictum est, haec data opera ab Ovidio in honorem Augusti atque ut ei blandiretur inserta esse. Eandem enim ob causam etiam vs. 175 sq. regalem Iovis domum cum Palatio Caesaris comparaverat.

Nonne etiam haec omnia facile explicari possunt ex eo, quod poeta ipse huic loco manum secundam adhibuit, eaque quae primo scripserat in honorem principis amplificavit; ita ut etiam hic duplex auctoris scriptura servata sit?

Omissis enim tribus illis versibus. quorum prima parte ad comparationem opus non est, altera pars plane idem enuntiat, quod versus sequens, oratio optime pergit:

„Confremuere omnes studiisque ardentibus ausum
talia deposcunt. Sic cum manus impia saevit
sanguine Caesareo Romanum exstinguere nomen,
attonitum tanto subitae terrore ruinae
humanum genus est totusque perhorruit orbis.
Substitit ut clamor, pressus gravitate regentis,
Iuppiter hoc iterum sermone silentia rupit.".

Ita omnia recte se habent. Cum autem postea addenda quaedam arbitratus esset Ovidius, itaque inseruisset tres illos versus 204—206, sequentes duo supervacanei erant; et haud dubium est, quin hos omissurus fuisset, si summam manum adhibere potuisset. Aut enim tres illi aut hi duo retinendi erant.

THESES.

I.

Ovidius, Metam. IX, 729 sqq:

Si di mihi parcere vellent,
parcere debuerant, si non et perdere vellent,
naturale malum saltem et de more dedissent.

Vs. 730 neque eiciendus neque mutandus est.

II.

Ovidius, Metam. XI, 56 sqq.:

His ferus expositum peregrinis anguis harenis
57 os petit et sparsos stillanti rore capillos
lambit et hymniferos inhiat divellere vultus.
58 Tandem Phoebus adest morsusque inferre parantem
arcet et in lapidem rictus serpentis apertos
congelat et patulos, ut erant, indurat hiatus.

Versus ‚lambit.... vultus', qui post 57 perperam diu erat seclusus, inter Ovidianos est restituendus.

III.

Ovidius, Metam. VIII, 651 sqq.:

Interea medias fallunt sermonibus horas
sentirique moram prohibent. Erat alveus illic
fagineus, *dura* clavo suspensus ab ab ansa:
is tepidis impletur aquis artusque fovendos
accipit. *In medio torus est* de mollibus ulvis sqq.

N. Heinsius non emendavit locum scribendo ‚curva' pro ‚dura' et ‚Inde torum sternunt' pro ‚In medio torus est'

IV.

Ovidium primo quinque deinde tres libellos Amorum edidisse verisimile non est.

V.

Ex Trist. III, 14, 5 sqq. et ex Ponto I, 1, 12 effici non potest, quod O. Ribbeck contendit, Ovidii operibus etiam bibliothecis publicis interdictum fuisse.

VI.

Hyginus, praefectus bibliothecae Palatinae non fuit ille, qui Trist. III, 14, 1 ‚cultor et antistes doctorum sancte virorum' appellatur et cui Ovidius Metamorphoses commendavit.

VII.

Ovidium versuum particulas aut hemistichia reliquisse, quod N. Heinsius et post eum multi contenderunt, non credibile est.

VIII.

Iniuria R. Merkel, Ovid. Vol. II² praef. 25 ex Seneca, Controv. VII, 1, 27, testimonium petit ad efficiendum, Ovidium Vergiliano exemplo data opera nec sine artificio versuum particulas aut hemistichia reliquisse.

IX.

Seneca, Contr. IX, 28, 17:

„non minus magnam virtutem esse scire dicere quam scire desinere."

Legendum: quam scire dicere esse scire desinere,
aut: esse scire desinere quam scire dicere.

X.

Seneca, Contr. II, 10, 12:

„Aiebat interim decentiorem faciem esse in qua aliquis naevus *fuisset*."

Legendum: *esset* vel *inesset*.

XI.

Martialis, Epigr. II, 41, 1 sq.:

Ride si sapis, o puella, ride;
Paelignus, puto, dixerat poeta.

Versus prior non est versus Ovidianus ad verbum expressus.

XII.

Horatius, C. IV, 13, 13 sqq.:

Nec Coae referunt iam tibi purpurae
nec cari lapides tempora, quae semel
notis condita fastis
inclusit volucris dies.

Vs. 15 pro ‚notis' legendum ‚nostris'.

XIII.

Horatius, Ep. II. 3, 1 sqq.

Humano capiti cervicem pictor equinam
iungere si velit et varias inducere plumas
undique collatis membris, ut turpiter atrum
desinat in piscem mulier formosa superne: sqq.

Pro ‚collatis' legendum ‚collatas' et ‚et' pro ‚ut'.

XIV.

Caesar, de b. G. II, 29, 3 (Holder):

Quod cum ex omnibus in circuitu partibus altissimas rupes *despectusque* haberet, una ex parte leniter acclivis aditus in latitudinem non amplius ducentorum pedum relinquebatur.

Recipienda est emendatio: ‚deiectusque'.

XV.

Caesar, de b. G. VII, 23, 2:

Trabes derectae perpetuae in longitudinem paribus inter-

vallis distantes inter se binos pedes in solo collocantur.

Verba ‚perpetuae in longitudinem' de singulis trabibus intelligenda sunt, non, ut vulgo, de serie trabium.

XVI.

Caesar, de b. G. VII, 53, 4:

Ne tunc quidem insecutis hostibus, tertio die ad flumen Elaver pon*tes* reficit eoque exercitum traducit.

Cum codicibus quibusdam scribendum, ‚pon*tem*'.

XVII.

Caesar, de b. G. VII, 73, 2:

Itaque truncis arborum aut admodum firmis ramis abscisis atque horum *delibratis* ac praeacutis cacuminibus perpetuae fossae quinos pedes altae ducebantur.

Cum codicibus quibusdam scribendum ‚dolabratis'.

XVIII.

Tacitus, Agricola c. 1:

Clarorum virorum facta moresque posteris tradere, antiquitus usitatum, ne *nostris* quidem *temporibus* quamquam incuriosa suorum aetas omisit.

Nonne: ne *nostra* quidem *temporum* quamquam incuriosa suorum aetas omisit.

XIX.

Minucius Felix, Octav. 19, 13:

Nam Socraticus Xenophon formam dei *veri* negat videri posse et ideo quaeri non oportere, Aristo Stoicus comprehendi omnino non posse: uterque maiestatem dei intelligendi desperatione senserunt.

Legendum: *vere*.

XX.

Aeschylus, Persae 891 sqq. (Weckl.):

καὶ τὰς ἀγχιάλους
ἐκράτυνε μεσάκτους,
Λῆμνον, Ἰκάρου θ' ἕδος, sqq.

Pro μεσάκτους W. S. Teuffel iniuria μετάκτους dedit. Retinendum est μεσάκτους.

XXI.

Sophocles, Oed. Col. 402:

κείνοις ὁ τύμβος δυστυχῶν ὁ σὸς βαρύς.

Nonne pro δυστυχῶν legendum est μὴ τυχοῦσ'?

XXII.

Sophocles, Phil. 304 sqq.:

οὐκ ἐνθάδ' οἱ πλοῖ τοῖσι σώφροσιν βροτῶν.
τάχ' οὖν τις ἄκων ἔσχε· πολλὰ γὰρ τάδε
ἐν τῷ μακρῷ γένοιτ' ἂν ἀνθρώπων χρόνῳ.

Non ἀνθρώπων sed ἀνθρώπῳ vel ἀνθρώποις est scribendum.

XXIII.

Euripides, Hipp. 347 sqq.

Ph. τί τοῦθ' ὃ δὴ λέγουσιν ἀνθρώπους ἐρᾶν;
Tr. ἥδιστον, ὦ παῖ, ταὐτὸν ἀλγεινόν θ' ἅμα.
Ph. ἡμεῖς ἂν εἶμεν θατέρῳ κεχρημένοι.

Vs. 347 ita legendum:

τί τοῦτο δὴ λέγουσ' ἐν ἀνθρώποις ἐρᾶν;

XXIV.

Euripides, Hipp. 891 sq.

Ch. *ἄναξ, ἀπεύχου ταῦτα πρὸς θεῶν πάλιν·*
γνώσει γὰρ αὖθις ἀμπλακών. ἐμοὶ πιθοῦ.

Recipiendum, quod L. C. Valckenaer proposuit: *ἀνεύχου.*

XXV.

Thucydides, I, 82, 1:

„*Ου μὴν οὐδ' ἀναισθήτως αὐτοὺς κελεύω τούς τε ξυμμάχους ἡμῶν ἐᾶν βλάπτειν καὶ ἐπιβουλεύοντας μὴ καταφωρᾶν, ἀλλ' ὅπλα μὲν μήπω κινεῖν, πέμπειν δὲ καὶ αἰτιᾶσθαι μήτε πόλεμον ἄγαν δηλοῦντας μήθ' ὡς ἐπιτρέψομεν, κἂν τούτῳ καὶ τὰ ἡμέτερα αὐτῶν ἐξαρτύεσθαι ξυμμάχων τε προσαγωγῇ καὶ Ἑλλήνων καὶ βαρβάρων, εἴ ποθέν τινα ἢ ναυτικοῦ ἢ χρημάτων δύναμιν προσληψόμεθα . . . . καὶ τὰ αὑτῶν ἅμα ἐκποριζώμεθα.*

Aut alterum *τε* expungendum aut legendum *ἐκποριζόμενοι.*

XXVI.

Thucydides, I, 144, 2:

ἀλλ' ἐκεῖνα μὲν καὶ ἐν ἄλλῳ λόγῳ ἅμα τοῖς ἔργοις δηλωθήσεται.

Haec non sunt verba Periclis.

XXVII.

Thucydides, II, 90, 4:

ἰδόντες δ' οἱ Πελοποννήσιοι κατὰ μίαν ἐπὶ κέρως παραπλέοντας . . . . . .

Iniuria H. v. Herwerden verba *κατὰ μίαν* glossema putat.